

1571.

DISSERTATIO
CHRISTIANO-POLITICA
AD PHILIPPUM IV
REGEM CATHOLICVM,

IN QVA

*Machiavelismo ex impietatis penetrabilibus pro-
ducto & iugulato; firmitas, felicitas, & incre-
menta Hispanica Monarchia, atque Austria-
ca Maiestatis, gubernationi ex Chri-
stiane Sapientiae legibus accepta
referuntur.*

Auctore P. CLAUDIO CLEMENTE è Socie-
tate IESU Ornacensi in Comitatu Bur-
gundiae, Regio Professore Erudicio-
nis in Collegio Imperiali Ma-
dridensi.

*Vltronis sumptibus amicissimi Clarissimiq̃
Dom. Doctoris PETRI DE ROSALES Sanctae
& Hispaniarum Primatis Ecclesiae Tole-
tanae Canonici Doctoralis me-
ritissimi.*

Anno M. DC. XXXVI.

11/27

DECLARATION ADDITIONAL AFFIDAVIT IN THE MATTER OF

THE ESTATE OF

1910

and I, the undersigned, being duly sworn, depose and say that the foregoing is a true and correct copy of the original as the same appears from the records of the court in the above entitled cause.

Subscribed and sworn to before me this

day of

1910 at the County of _____ State of _____

Notary Public in and for the State of _____

My Commission Expires _____

DISSERTATIO
CHRISTIANO - POLITICA,
AD PHILIPPVM QVARTVM
REGEM CATHOLICVM,
IN QVA

*Machiavelismo ex impietatis penetrabilibus
producto & ingulato; firmitas, felicitas,
& incrementa Hispanice Monarchie
atque Austriacæ maiestatis, gubernatio-
ni ex Christianæ Sapientiæ legibus
accepta referuntur.*



M N I A colit humanus intellectus
præter ipsum omnium Conditorem; di-
xit aliquando Tertullianus differens
de Idololatria, PHILIPPE REX

CATHOLICE. Ego de Politicorum secta co-
gitās, quid de illa dicturus sim, quid taciturus,
quo nomine eā appellaturus, nescio. *Polytheis-*
mum vocabo? propterea: omnia enim colit Poli-
ticus propter unam Politicæ rationem. *Atheis-*
mum nominem? & quidem iure: nam quidquid
voles colit. & quid noles non colit Politicus
propter unam *Statis* rationem; versicolor est,
versipellis, & Proteus mutabilior. *Politio*latriam
vocem? optimè, propitijsimè: si quid enim co-

*Pseudopo-
liticorum Re-
ligio quæ?
Tertull. lib.
de Idolol.*

DISSERTATIO

lit dum nihil colit Politicus, divinos honores
 tribuit nescio cui numini, quod seu Dea seu
 Deus est, veteres Græci ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, Romani
 REMPUBLICAM & IMPERIVM, Nuperi
 STATVM indigetant: hoc autem esse unicum
 Politicorum numen, hoc esse propriissimum
 Politicorum nomen, sicut ex Aristotele, sic ex
 eorum ritibus & factis colligo; quandoquidem
*Politici credi Deum tantummodo ex usu vita &
 regnandi est.* O scelus, ô humani generis propu-
 dia, ô monstra, ô Antithei, ô Polythei, ô Athei,
 atque omnè ut impietatem uno verbo cõple-
 ctar, ô Politici, Politici! Politici, inquam, Po-
 litici. Est quidem Politicus ex propria notione
 & munere appellatio & occupatio plena digni-
 tatis, plena honestatis: vetum nunc, mutato te-
 rum utique & verborum ordine & intellectu,
 plena impietatis, plena maleficij. Nimirû sig-
 nificat eorû sectam, qui in civili statu vel tuen-
 do vel augendo, omne nefas fas esse dictitant;
 Religionem suscipiendam, deponendam, au-
 gendam, contrahendam, mutandam, vertendâ,
 invertendam, proculcâdam proutè publica re,
 vel privatis rationibus videbitur, impiissimè
 pronuntiant; de qua hominum peste libet usur-
 pare Prudentij carmen:

Coarra Sym-
 machum, &
 Suetonium.

*Ha sunt delicia loci infernalis, in illis
 Arbitræ obscuri placidus requiescit Averno.*

Ingrediamur, si possumus, & introspeciamus in adyta istius Polythiolatriæ: videamus quibus ritibus & cæremonijs numini fiat; proferamus quid ferant indigeraméta seu rituales libri initiatorum huic Deo, & Statui colendo devotorum capitum; quàm feliciter flamines isti tartarei, omnis æquitatis victimarij, humanarum animatum popæ & redivivi Busirides litent, & votum impetrent: quo successu celebrétur impia ista Saturnalia:

*Festaq; servorum cum famulatur herus:
& infandæ nonæ Caprotinæ:*

Cum stola matronis dempta regit famulas.
quàm iusta sit, simulque scelestis Politicis, qui divina humanis, & Religionem Statui postponunt: metuenda hæc supremi omnium rerum Domini sive exprobratio, sive querimonia. *Verumtamen servare me fecisti in peccatis tuis; & ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes exiterunt, & non cognovi.* Equidem libenter dico pro causa Religionis, atque optima Regnorum moderatricis Christiana Sapientia contra Machiavellianã Prudentiam, & præposteros Reump. Doctores: nihilominus longè libentiùs audirem Ambrosios, Synefios, Bernardos, Thomas Aquinates, Baronios, Bellarminos, Possévinos, Bozios, Boteros, Ribadneyras, Marianas, Marquesios, Scribanios, Menochios, Contzenios, & eum, qui

Auson. Je-
rijs Romanis
Eidyllio 26.

IC 43.
Of. 9.

S. Ambrosio
Epist. 3. ad
Theodos. &
Valentin
Synet lib. de
Regno.

S. Bernar. ad
Cörad. Reg.
S. Thom. lib.
de regimine
Princ.

Baroni. pas-
sim in ann.

Bellarmin.
Possévin. in

judicio de
Nuz. &c.

Bozias de sig-
nis Eccl. cõ-
ter Machiav.

Ioan. Bot. li.
de vera sap.

& alibi.
Pet. Ribada-
de inst. Prin.

Ioan. Mariana
de Rege. &
Regis inst.

Io. Marquẽ
de Gub. Chr.

Carol. Scrib.
in Pol. Chri.

Io. Steph. Me-
noch. in Hiero-
polit.

Ad. Contz. in
Polit.

P. August. de
Castro Con-
cion. Reg.

Castro Con-
cion. Reg.

Castro Con-
cion. Reg.

DISSERTATIO

qui in hac Regia Academia id ipsum splendide proficitur, de quo illi pro dignitate scripserunt; hi omnes humanâ simul ac divinâ eruditione conspicui, ac iudicandi facultate clari, ideoque (quod de D. Basilio dictum est) ambidextri, Christianâ romphæâ Politio latras iugulant, dum evincunt nullas diu stare posse Resp. nisi in æquitate, & divini numinis cultu fundatæ sint; optimumque Status Politici firmamentum, eiusque augendi, atque ad humanæ sublimitatis & felicitatis fastigia perducendi certissimam artem esse, Religionis & veræ pietatis tuendæ ac propagandæ incensum studium. Divinam horum virorum dicendi vim, & spiritus, & pietatem, & Christianâ libertatē, quæ intelligo mihi profus necessaria esse, supplex à te posco DEVS OPT. MAX. ne abiecte, serviliter, atque indignè tantum argumentū exequar: simulq; peto abs te REX CATHOLICE, ut antequam aggrediar ad id, quod præcipuè mihi in hac dissertatione propositum est; nimis ad commemoranda *Ecclēsia Catholica, & Hispania incrementa ex mutuis meritis & officijs*, exponam Atheo-politicorum instituta & deliria, atque inde oriri solitas civiles offensiones & calamitates; ut cum deinde de Christiana tua tuæq; Hispaniæ sapientia dissertā, exploratius fir, quantopere ab illis abhorreat;

reat; quàmque feliciores in Regnorum tuorum administratione & incremento exitus fortiatur & promittat.

§. I.

O Perosa res est, & perquamdifficilis penetrare se in Politolatrarum sacraria; quid rerum illic agatur, quid verborum illic dicatur, quid mysteriorū celebretur cognoscere haud queas, nisi & tu ipse iisdem mysterijs prius initiatus fueris, & facerrimum iurandum iuraveris, nemini superstitioso (sic Christianæ Religionis, & veræ pietatis ex animo consecratos vocant) te arcana Politica enuntiaturum; nemini *sacrum* (sic appellant) *professionis volumen* traditurum; nemini occultos sacrorum ritus, & Cæremonias, & vota indicaturum: qui secus facit, profanus, intestabilis, invisus, sacer & execrabilis habetur. Ego tamen ratus horum mysteriorum cognitionē etiam comprehendere nomine & munere Academiae meæ professionis; REX; in animum meū induxi nullum non movere lapidem, tentare omnes aditus, vestigare omnes vias, excubare animo, captare opportuna tempora, demississimis, si opus foret, obsequijs & luculentis sollicitationibus demereri aliquē, qui me in sanctiorem cellam Politolatrarum, vel saltem in

*Pseudo-politicorum
mysteriorū
adyta quæ
abditæ.*

DISSERTATIO

vestibulum introduceret, unde mystica operatio
 verba, & concepta vota audire, atque
 aram, & numinis simulacrum contemplari,
 eorumque disciplinam & institutum possem
 habere penitus explorata. Nihil est proinde,
 quod quisquā me sacrilegij & impietatis infi-
 mullet; non sui mala mente curiosus: De me
 hac in parte dictū velim, quod de se ipso Ter-
 tullianus dixit loquens de Magiæ studio. *Quid
 ergo (inquit) discimus Magiam, quam omnes penè
 fallaciam; sed ratio fallacia solos non fugit Christia-
 nos, qui spiritalia nequitia nec quidem sociā consciē-
 tiā, sed inimicā scientiā noximus; non invocatoriā
 operatione, sed expurgatoriā divinatione tractamus
 multifarmentem hanc lucem mentis humana, totius erro-
 ris artificem, salutis pariterque animæ vastatricem.*
 Eodem consilio adieci animum ad pernoscen-
 da Politicorum mysteria; ut cum ea protule-
 ro, omnes capitalissimam humanæ societatis
 pestem oderint.

*Cur expe-
 sit a eorum
 cognitio.
 l. de anima.*

*Quo arti-
 ficio in eā
 penetratū.*

Hæc ratio meæ curiositatis, hoc meum in-
 stitutum; cuius ut facilius compos fierem, alie-
 nam personam indui, non inficit: tum subo-
 doratus ex quibusdam indicijs instare solenne
 festum Politici ordinis, adij ad eum quem esse
 suspicabat penitioris sacrarij ædituum & cu-
 stodem; nec me mea fefellit opinio: hominem
 rogo potestatem mihi faciat proxima facta
 def-

spectandi ex aliquo loco, unde singula accuratè
 perspicerem: Negavit Aedituus id se facere
 ullo modo posse impeditum inviolabili reli-
 gione iurisiurandi, quod per salutem Principis
 & incolumitatem Reip. conceperat: præterea
 causari *profanum* me esse, nulli nisi initiato san-
 ctionis cellæ copiam fieri. Vix hæc responde-
 rat, cum venit mihi in mentem quod aliquan-
 do me monuit Textullianus, *Politiciis sanctius*
esse iusiurandum per salutem Principis, quam per
Majestatem divini numinis. Hæc ego hominem
 urgere, iurato omnem religionem eximere, pla-
 num facere, eum multis de causis iureiurando
 haud teneri. Tandem hoc evici, ut consisterem
 solus in vestibulo, ubi locum mihi provisurus
 esset, unde facile videre singula, & à nemine vi-
 deri possem. Placuit consilium, perendina dies
 capta; fortè *Imperij natalis* ea fuit apud Politi-
 cos festivissima; festiviorem insuper facturus
 erat illam diem juvenis quidam Patritius in-
 ter eiusdem festi sacra politicis mysterijs in illius
 Collegij frequenti confessu initiandus. Aderat
 constituta dies, ipse quoque adsum, nec defuit
 promissis Aedituus. Convenerant in ædis pe-
 netralia omnes Politicorum ordines, summi,
 medij, infimi, Antistites, Sacerdotes, mystæ, at-
 que in paratis sibi locis confederant. Aedituus
 qui & idem huius ædis ianitor erat (paucissi-

Sen. Epist. 95.

In Apolog.
part. 8.

DISSERTATIO

mos enim suarum rerum conscios esse volunt; nec propterea gravantur interdum etiã ex antiquissimis & meritisimis Antistitibus spectatissimi fungi munere excubitorum, vel exceptorum, vel ostiariorum, ut occultiora sint mysteria) Aedituus, inquam, pro suo munere fores omnes clausurus clam omnibus me admittit in satis tenebricosum vestibulum: tum pauca hæc verba mihi in aurem infusurrat: Clausa est ianua, nõ clavi sed pessulo tantum; per rimas commodissimè, duobus in locis perforavi Cellę ostium: Solummodo vide ne hiscas, ne quid concrepet; ego enim incuriã arcesseret, tu fustuario lueres: hæc ille: ego vicissim securum illum esse iussi: Penetrare clauditur, propius accedo spectaturus, præclare mihi prospectum experior.

*Politicaria
Cella
Sanctior.*

Quid putas me vidisse, REX? quid audivisse? mira vidi, mirabiliora audivi. Cõclave erat amplum, aurata laquearia, parietes belluaris & personatis tapetijs magnificè vestiti: imagines illustrium Politicorum pulcherrimè pictę & eleganti ordine dispositę, Ereoclis, Euripidis, Criticę, Iulij Cæsaris, Senecę, Cornelij Taciti, Tiberij, Arnaldi de Brixia, Petri Cugnerij, Nicolai Machiavelli, Caroli Molinæ, Ioannis Bodini, Philippi Plesij Mornæi, Lanucci & aliorum. Verum nihil mihi augustius

visum est operantium confessu : sedebant singuli in a'ciusculis sellis brachiatis, dispositi in orbem non quidem perfectum; sed qui potestior & longior esset, ut (quemadmodum loquitur Cassiodorus) *prolixæ rotunditas colloquentes inter se melius colligeret*. Alij erant togati, alij chlamydati, alij endromidati, alij palliati; plerisque barbitium prolixius, cæteris pro more suæ gentis aut rasum, aut cultum, aut neglectum: Univerfis oculi, frons, vultus, palæstra corporis tam studiosè ad severitatem maiestatemq; composita, ut velut Atlantes suo illo elato supercilio coelum fulcire, austero nutu tremefacere Olympum, & gravitate fundare terrarum sola viderentur. In medio coetu strata turcico tapete mensa, atque in ea positæ duæ statuæ, altera *Diva Politia*, altera *Principis*. Illa stabat Heroinæ habitu coronâ qualem Cibeles Deorum matri attribuunt; sinistrâ cornucopiæ, dextrâ palmam ferebat: Simulacrum Principis quale informare quilibet potest sedens in edito folio, diademate sceptroque conspicuum. Inter utramque effigiem *volumen* non motis nostri, sed antiqui, unicâ membranâ circumvolutâ circa bacillum vel cylindrum ligneum instar telæ textorio radio circumplicatæ; præterea nihil.

l. g. vaciæ
epist. 42.

Simulatque solenne sacrorum initium, hoc

B 2

agite,

DISSERTATIO

agere, pronuntiatum est, universi è suis fellis sur-
gere, gemina corporis inclinatione ac flexo al-
tero genu venerationem & divinum cultum
utrique simulacro rite & religiosè persolvere,
præstareque sibi invicem singuli plenum gra-
vitatæ & urbanitatæ salutationis officiũ. Præ-
erat Antistitis dignitate, & munere senex nes-
cio quis, cuius frontis contractionem & ocu-
li gravitatem ut primũ aspexi, putavi in eo
collectũ esse quidquid maiestatis habere à na-
tura vel ab arte potuerunt prisca legistatores,
& conditores Rerump; Licurgus, Draco, Mi-
nos, Rhadamãtus, Charondas, Solon, Aæacus,
Zoroastes: nam incredibilem homini gravita-
tem, & constantiam natura tribuerat, & mirũ
in modum professio Politica eam angebat: Is
in hæc ferè verba, quoad meminisse possum,
orationem habuit ad circumfusam coronam.

*Natalis
Imperij quo
ritu cele-
bratus à
Pseudo-po-
liticis.*

*Natalis Imperij, quo die sanctiorem nosser ardo nõ
habet*, haud aliter celebrari placuit, quàm co-
optatione in nostrũ corpus, & initiatione unius
Candidati, si modò vobis videbitur Collegæ
amplissimi: de illo multa haud loquat; hoc so-
lũ dicam, Patrem me vocat; ego illum vicis-
sim legitimam prolem meam & sanguinem
agnosco; nec magis in Telemachum filium
Vlysses se transfudit, quàm in illum ego me:
adolevit in *Academia atheoticos*, quam maiores
nostr

noſtri *Seminarium Politicis Ordinis* ſapienter ap-
pellaverunt; deinde meis manibus ex discipli-
na & inſtitute noſtræ profeſſionis ita factus fi-
ctusque eſt, ut noſtrum ius, me uſus interprete,
penitus norit; & (quod caput eſt) ea præditus
eſt animi firmitudine, ut in eo nullum veſtigium
timiditatis aut popularis ſuperſtitionis appa-
reat: plura dicere prohibet pudor, licet nixa ve-
ritate benevolètia paterna plura ſuadeat. Ego
qui parens ſum ero & myſtagogus, ſi huic ordi-
ni ratum & gratum erit. Antiftitis orationem
magna conſeſſus admurmuratio excepit: nec
mora, communi voce & clariſ ſuffragijs non
occulſis calculis, (ut aliàs mos eſt) intro advo-
catur per Aedituum ex Candidatorum por-
ticu.

Prodiit initiandus animi præſentiâ incredi-
bili: ingredienti ac de more univerſos conſa-
lutanti aſſurrectum quoque à ſingulis: Cui ſic
Antiftes: Cur huc fili? quid poſtulas? Myſteria
& Collegium Politicorum ambio, parens op-
time idemq; Antiftes ampliffime, ſi tu & Col-
legæ tui annueritis. Protinus non tantum an-
nuere, ſed iteratis vocibus univerſi pariter ac
ſinguli clarè ſtudium ſuum & voluntatem te-
ſtari. Rem magnam poſcis fili, inquit Antiftes;
*Arte tractandæ Reipub. nulla doctrina eſt maior: Po-
litica, anima eſt, & vita civitatum, & regnorum.*

*Candidati
Pſeudo-po-
litie intro-
ducto ad
initiatio-
nem.*

*Plutarch in
Catonæ ſocra-
+ Panar.*

Sic

DISSERTATIO

Sic puravi semper, inquit Cādidatus; quę causa est, ut tyrocinij in hac sciētia mei experientissimos & consummatos magistros iam diu optem; quod felicitatis tandem aliquando adipiscat, si me in vestrum hoc Politicorum Collegium, quod vocare possum mortalium Deorum coetū, cooptaveritis, *Tutores orbis, Rerump. Genij.* Non abnuo, subiecit Antistes, quandoquidem id se velle omnes significarunt non dubijs animi erga te sui testificationibus. utinam & meritorum meorum, inquit Cādidatus; unum spondeo, vos præsides meos non in obsequentem nec indiligentem discipulum & mystam habituros. Tua meaq; interest, id ut præsides filii: Explica volumen illud & lege. Cādidatus volumen aperit, & concepta hæc verba clarā voce recitat. *Credi Deum, Religionem quam voles & quantum voles coli, æquitatem servari, scelus patrari, ex usu vite & regnandi tantummodo isto.* Tum Antistes; animo constas ad generosa hæc verba? Consto & quidem obfirmatè, respondit juvenis. Rursus Parens; hæc nostrę professionis summa; pauculis illis verbis Politici Ordinis mysteria continentur. Tu super hac re dicenti sacrorum nostrorum Interpreti aures & animum præbe. Ad hæc Orator suggestum conscendit; ad eum omnium ora conver-
sa; sic orsus est.

*Essatum
pseudo-po-
liticum.*

Corruptissima Resp. plurima leges (Antifites amplissimi, sacerdotes spectatissimi, myste ornatissimi, tuque horum sacrorum Candidate, quem ferè unum mea deinceps spectabit oratio) *Corruptissima* (inquam) *Resp. plurima leges*: Ideo semper suspexi Politicorum mysteriorum sapiens institutum, quod omnè gerendam Reip. rationem & prudentiam exiguâ illâ formulâ quam recitasti, comprehendit. Eius laudationem non instituo, quia

Ornari res ipsa negat, contenta daceri:

Vnum pugnabo & enitar; ut invictam tuam illam mentem, quæ ad formulam nostræ professionis à te nunc perlectam non concidit nec debilitata est; novâ, si possum, animi inductione exaggerabo, ut quæ legisti fortiter, ea serves intrepidè: quod non aliter facere decrevi, quàm ipsismet eorum verbis quorum vultus in huius ædis parietibus in tabulis expressos vides. Circumfer mecû oculorum aciem, & tacitus perlege, & venerare Heroas nostros Eteoclem, Euripidem, Critiam, D. Iulium Cæsarè, Lucium Annæum Senecam, Cornelium Tacitum, D. Tiberium Imperatorem, Petrum Cugnierium, Arnoldum de Brixia, Carolum Molinæum, Ioannem Bodinum, Philippum Plessium Mornæum; Lanæum; & quem præcipui honoris causâ nomino, *Nicolaï Machta-*

Oratio pseudo-politicorum sacrorum interpretis initiationi prævia.

Tac l. 3. ann.

Manil. de rebus altron.

Pseudo-politicis Ordinibus Columina.

posse in l. v. Bibli pag 111 t Mornæu hinc Petri nomen.

wellum.

DISSERTATIO.

vellum. Hi sunt Politici ordinis conditores in nostrorum sacrorum Hierophantæ, hi nostri duces, nostri Principes, hi denique (si quid uspiam divinitatis est) nostri Dij. Atque ut professionis nostræ formulam magis suspicias & admiseris, tanquam compendium omnis sapientiæ, palmare pronuntiatum, & (quemadmodum loqui consuevimus) Regulam Status Politici longè optimam, longè perfectissimam certissimamque; libet eius vim breviter interpretari, ne quid mysteriorum nostrorum te fugiat; deinde magnorum virorum super ea resententias tibi exponam.

*Effati p/ u
do-politici
interpreta
tio.*

Huic itaque regulæ Politicæ iste sensus subiectus est; *Numen eatenus esse colendum, Religionem integram, aut eius partem duntaxat retinendâ; eatenus quod æquum est servandum, quatenus tuendo vel augendo Status Politico expedire visum erit: ac propterea si Deum non coli, aut non credi, Reip. rationibus consentaneum erit; Deum ne colito, Deum ne credito: si novam Religionem induci, novam inducito; si duas vel plures profiteri, duas vel plures profiteor; si Calvino, si Mahometi, si Luthero, si Cacodæmoni famulandum, famulator; si ius violandum, violato; si scelus admittendum, admittito; denique in causa Imperij, quidquid voles, fas esto; eius maiestati sacra simul & profana serviunto. Proh magnam vocem; excellentias Politicorum mentes qui hæc*

hec verba impavidè pronuntient, & quod gloriosius est, sine hæsitatione, sine cunctatione in rem conferant. Sed etiam beatum te, atque ipso numine, quodcumque illud est, parem, Candidate, atque ad Status gubernacula perquam idoneum, sanctoribus mysterijs propediem inaugurandum, atq; infulis ipsis Politicis dignum, (varij enim sunt Politicorum Ordines, non repente ad summum pervenitur) si in animum tuum generosam hanc mentem induxeris, ut Imperij gratiâ humana simul ac divina contempnas. Quò ut evadas indicabo tibi magnos viros quos sequaris, monstrabo vestigia quæ premas: et si antiquitatem in hac causa desideras: replicabo heroica tempora atque imprimis Eteoclem tibi sistam, cui magnanima ista vox regnum asseruit.

*Eius assertores.
Eteocles.*

Εἰς τὸν γὰρ ἀδελφὸν Χρῆτον τὸν παρρησίῳ περὶ
κέρμιον ἀδελφῶν, τὸ ἀλλ' εὐσεβῆς χριστός.

*Euripides in
phœn.*

Quæ verba Divus Iulius Cæsar Politicorum illustre iubar, & Romani Imperij Conditor gloriosissimus in Latinum sermonem convertit, & incredibili felicitate, animique firmitate, re & verbis complexus est, sic dicere solitus:

*Nam si violandum est ius, Imperij gratiâ
Violandum est; alijs rebus pietatem colas.*

Hæc quam similia sunt ordinis Politici effato, si non sunt profus eadem? tu interea ista quæ

DISSERTATIO

attuli, tum ea quæ ex alijs tibi repræsentaturus
 sum, non aliter quàm tibi ipsi dicta, atque Si-
 byllinis & Mosaicis oraculis veriora excipies.
 Vides in hac tabella Euripidem? ausculta de
 numine sic disputanti. *Divinitatem aliquam orbi
 terrarum præsidere, legislatorum commentum est hac
 persuasione populos coercere sat agentium. Quid Po-
 liticis favorabilius? Vides Senecam? illum, in-
 quam, aureorum sæculorum reformatorem,
 Romanæ sapientiæ sua ætate culmen* *Populovs
 τὸς κατ' ἑαυτὸν βολῆς ὑπεγάρρα* Politicæ artis magi-
 strum absolutissimum, & Stoicæ fortitudinis
 cor: En eius de Deo sententiam mirabiliter
 consentientem cum pronuntiato Ordinis Po-
 litici. *Quid tam imperitum (inquit) quàm credere
 fulmina ἐν nubibus loquem mittere? Si queris à me
 quid sentiam; non existimo tam hebetes fuisse anti-
 quos, ut crederent: quid ergo secuti sunt cùm hoc dice-
 rent? Ad coercendos animos imperitorum sapientis-
 simi viri iudicaverunt inevitabilem metum, ut su-
 pra nos aliquid timeremus; utile erat in tanta auda-
 cia scelerum aliquid esse adversum quod nemo satis
 potens videretur; ad coercendos itaque eos quibus
 innocentia nisi in metu non placet, posuere supra ca-
 put vindicem, & quidem armatum, aureæ, sapien-
 ter, Politicè. Scelus sit eum præterite quem
 proximè Senecam colloca vimus Critiam Phi-
 losopham, quia religionis Politicæ originem*

Euripides.
 Apud Plut.
 de plac. lib. i.
 cap. 7.

Seneca.
 Front.
 Dio. 49.

Sen. 2. nat.
 quest. l. 42.

Critias.

& processum divinè recenset; unde colliges, quàm bonè veteres & recentiores Politici inter se consentiant: nam docet ad comprimenda occulta scelera fuisse excogitatos ab homine aliquo ingenioso Deos, sicut leges ad publica. Agnoscis in ea quæ sequitur imagine Politicum primæ notæ præceptorem Cornelium Tacitum, cuius sapientissimis præceptionibus incredibile est civilis scientia quantum in dies proficiat, & noster ordo creverit? Non est ut eius monumenta diligenter non evolveris, suafore præsertim optimo Parente tuo, qui nunquã ea deponit è manibus. Cogita quàm explicatè doctrinam nostram tradit, quàm graviter tuetur, quàm vehementer suadet in ijs animadversionibus, cõsilijs, coniecturis quas historice suæ identidem interserit. Animadvertisti quàm sæpe est observatum à scriptore sagacissimo, sacra impunè violata, pollutas etiam cum lucro Ceremonias, crimina feliciter patrata, virtutibus aversos, sceleribus faciles, & humana plerumque contemnentes Deos? Si tamen putavit esse aliquod numen, qui animi dubius in utramque partem disputat & ambigit, *Fatone* res mortalium & necessitate inevitabili, an sorte volvantur. Tu cum singula diligenter perpendis, & eius disciplinam cum nostra contuleris; omnino putes vel nos ab ipso in Politicis

*Cornelius
Tacitus.*

*Famian. Sca
da l. proluc.
2. histor.*

Tac. lib. 2. 22.

DISSERTATIO

eruditos, & ab eo profuxisse nostram philosophiam; vel eum in nostra philosophia (quonia antiquissima est) diu fuisse volutatum. Hunc sequuntur duo perillustria Lumina, Arnaldus de Brixia, & Petrus Cugnerius, uterque auctor audendi contra Romanum Pontificem, & Politicæ libertatis ex servitute Ecclesiastica vindex & assertor nobilissimus. Carolo Molinaeo iuris consultissimo quæ hic vides, hoc esto breve Elogium; illum à nostri ordinis hominibus tanti fieri, quantum Papa & Hispana Inquisitio eum damnat, & velut impium proscribit. Ioanni Bodino, Philippo Plessio Mornæo, Lanuæo, alij. quæ præsentibus quam laudem adscribam? nullam (meo quidem iudicio) illustriore, quàm si dixerò fuisse Politicos; alios quidè Papisticæ superstitionis apertos & strenuos contentores, alios (prout Politicæ sciëntiæ ratio interdû postulabat) Christianæ religionis occultos impugnatores, omnes Taciti nostri iuratis affectas. De Divo Tiberio Cæsare quem nos etiam in hac æde consecravimus, quid? O virum incomparabilem, ô Politicum absolutissimum, ô hominem omnis religionis, ô redivivum in simulandi & dissimulandi solertia Vlysses, ô mortaliùm immortaliumq; circumscriptorem; ô leoninum, vulpium, versatile, securum in medijs Reip. tempestatibus,

Baron ann.
Chr. 1139. &
1141. & 1145

Genebr. in
Chron. ann.
Chr. 1327.

*Carolus
Molinaeus.
Ioann. Bo-
dinus.*

*Philippus
Plessius
Mornæus.*

*Lanuæus
Miles.*

de his tribus,
vide Ribadn.
ad librum de
Princ. Chris-
tian. Possivi-
num in Bibl.
appate

negotiosum in otio, & otiosum in negotio ingenium: omnes laudes politicas complexus fuero, si dixerō Tiberium re & factis comprehendisse, quod Tacitus stylo & præceptionibus exsecutus est.

*Tiberius
Caesar.*

Illi tamen omnes quos longo ordine recensui, quanti quati sunt, qui sanè sunt maximi, *Nicolas Machiavello* (cuius nomini honoris causâ universi assurgimus) in hac politica scientia cōcedant necesse est: nemo divinius eam intellexit, nemo accuratius eam distribuit, nemo luculentius scriptis mandavit, nemo fidentius in publicum edidit, nemo fructuosius professus est. Age verò ne quid oratoriè dixisse videamur, tabulas proferamus: sunt in omnium nostrum manibus immortalia eius monumenta, licet contra ea non semel è Vaticano fulminatum sit. Hic tuam fidem Candidate; quantæ politicae facultatis est bellorum ius & æquitatem in eo constituere, quod è re sua fore Principis arbitrabitur? Constituit Machiavello. Quàm divini cōsiliij res est auctorem esse Principi, ut in administrando Imperio unum aliquem ex insignioribus Tyrannis sibi proponat ad imitandum, eumque tota mente intueatur, utpote quod necesse sit tales viros fuisse excellentis ingenij & præstantis animi, qui principatum sibi suis viribus pepererint? auctor fuit Machiavello. Quatè sagacitatis suasisse Principi,

*Nicolas
Machia-
vello. Pseu-
do-politico
rum myste-
riori præ-
cipuus pro-
pagator.*

*de Machia-
vello Poffvi-
nus, Ribad-
neus, Gre-
gor. Nunnius
& plerique alij.*

cipi, ut si absque bello civitatem aut Provin-
 ciam aliquam ulcisci velit, pravis moribus eam
 impleat; si penitus omnem pacis spem & desi-
 derium hostibus præcidere, eos insignibus ini-
 urijs vio et; si in subactis Provincijs absolute
 dominari; colonias sic collocet, ut veteres in-
 colæ ablegentur; & quibus ea mutatio gravis
 erit, subvertat, & familias funditus tollat? hoc
 suavit Machiavellus. Quanta prudentiæ agno-
 visse veterum iniuriarum oblivionem nullis be-
 neficijs induci; nullius quantumcunque con-
 iunctissimi amicitia fidendum; si plectere ali-
 quem Princeps volet, speciosum aliquid præ-
 texendum; immanitatem uno impetu effundē-
 dam, instillandam paulatim beneficentiam; fa-
 ctiones alendas inter subditos; tollendos è me-
 dio boni publici amantes; regnandi gratiam ne-
 que sceleribus abstinendum, neque fraudibus
 & dolis temperandum, neque subditorum for-
 tunis & sanguini parcendum? hoc agnovit Ma-
 chiavellus. Quanta fiduciæ & securitatis, Mo-
 sis consilio & prudentiæ rerum ab ipso præcla-
 re gestarum laudem asseruisse, & nequicquam
 frementibus supersticiosi, nequicquam oblu-
 stantibus, quas vocant, sacris scripturis, tanto-
 rum triumphorum gloriam numini eripuisse?
 asseruit, eripuit Machiavellus. Quanti animi
 est in causa Principatus seu Status eximisse ex

hominum mentibus omnem scrupulum, depul-
 lisse omnem metum imminentis sceleratorum
 cervicibus divini numinis, sustulisse veræ aut
 falsæ religionis delectum & discrimen, & sex-
 centa id genus quæ prudens prætereos exemit,
 depulit, sustulit Machiavellus, generosè, fortiter,
 feliciter; feliciter, inquam: exploratū enim
 est vel ipsorum Machiavelli hostium confes-
 sione, tam lōgè latèque propagatam huius Po-
 liticorum Principis disciplinam, ut si quæ à
 Luthero, si quæ à Calvino, alijsque sectarum
 auctoribus excitatæ sunt factiones, cum Ma-
 chiavelliana schola comparentur; numero fa-
 cile vincantur, locorum amplitudine, auctori-
 tate, opibus.

*Pseudo-po-
 liticus Cras-
 nis ampli-
 tudo.*

*Leſius in
 Epist. ad libr.
 de providen-
 tia numinis
 & animæ im-
 mortalitate.*

Quæ cum ita sunt, nihil est necesse de no-
 stræ disciplinæ præstantia pluribus te affari Cã-
 didate generosissime; nihil est necesse facere
 tibi animos ad eam capeffendam; si quid enim
 adhuc in tua mente residuum est popularis su-
 perſtitionis & verecundiæ, quam omnino ex-
 cussisse oportet, ut verè noster sis; continget ti-
 bi quod Cleanthi, qui nunquam Zenonem ex-
 pressisset, si eum tantummodo audivisset; tu
 enim cum secreta nostra perspicias, cum Poli-
 ticas ritus observabis, tum ex formula nostra
 disces vivere; & ex pietate convictum nostrum
 mea oratione in hæc partibus efficacior.

Senec Epist.

*16.
 Pseudo-po-
 liticorum ed-
 vicius quid
 præſtet.*

DISSERTATIO

In comite nunc admittimus ; in heroum disciplinam, quorum cernis imagines, adoptamus. Reliquum est, ut si tibi certum ac ratum politicis mysterijs initiari, *sol. nne Politicorum iusiurandum*, quo breviter continentur ea quæ à me pluribus dicta sunt, concipias. Perplacet, ratum est, paratus sum, ait Candidatus. Tum Interpres ; en iurisiurandi formulam in hac tabella quam tibi porrigo : accede ad mensam propius, & clara voce pronuncia. Hic Candidatus.

*Ego Philopolites almæ Atheotitos
Academiae Licentiatus iuro per Di-
væ Politicæ numen, & salutem Prin-
cipis, quorum simulacra venerabun-
dus tango, ex Politicorum formula
me victurum ; & credi Deum, Reli-
gionem coli, equitatem servari, scelus
patrari, apud me semper tantum-
modo ex usu vitæ, & reg-
ni fore.*

Post hæc Interpres ; abundè cumulatè : optimus Patens tuus idemque nostri ordinis caput ; & singuli eo quo sedent ordine tuos amplexus poscunt. Vbi novo mystæ gratulatum à singulis inter complexus & oscula, sic Antistes con-
fes-

festum est affatus. De publicis negotijs hodierna die nihil: natali. Imperij iustitium esto: In proximum diem concilium indico; abire licet, nihil vos moramur. sic conventus dimissus est. Aedituus fores aperire; ego ut intraveram me subduxi; & quæ iam pridem scire desideraveram, quæ vidi, quæ audivi, quæ didici, ea tecum REX MAXIME, hodierna die communicare consentaneum esse duxi, ratus hæc politica mysteria è suis penetralibus eruisse & evulgasse, optimam esse eorum confutandorum, profcribendorum, atque detestandorum rationem. Vereor tamen ne Catholicum & eximie pium animum tuum offenderim horrore tantorum scelerum, & recitatione earum rerum, quas Politici in suis conciliabulis impie tractant & loquuntur.

§. II.

EGo quidem (verum ut fatear) cum hæc quæ vidi & audivi reputarem apud animum meum solus, cohorrui non semel, duo præsertim miratus; primum esse aliquod hominum genus cui Religio & pietas ludus sit, & queat sine pavore & metu humana & divina iura violare: parum illis est violare; numè ipsum abnuere, & pati eripi sibi ex animo Dei persuasionem, quam natura tam altè hominū

At heo politici populorum circumscriptores Religio nis spece.

D

ani-

DISSERTATIO

animis impressit: quæ impietas in homine religionem Christianam professo, non tam impugnanda est rationibus, quàm ferro & rogis vindicanda. insania ista & intestinum murmur dicentium in corde suo *non est Deus*, meo quidè iudicio, paucorum est; (ut ait D. Augustinus) sicut magna pietas paucorum est: at eorum qui gravia & horrenda tam securi peccant Status gratiâ, perinde ac si numen nec videat, nec audiat, vel nesciat, aut saltem dissimulet; infinitus est numerus. Alterum, quod nondum satis comprehendere potui, esse tam hebetes & cæcos præclaros istos (si superis placet) Status gubernatores, qui se mortalium oculatissimos venditant, ut non videant, ob cupiditatem dominandi sublata Religione, & sceleribus haud cunctanter susceptis, everti Respublicas & penitus labefactari. Quod si Politici respondeant se mecû sentire, & verè dictum à Tullio *Orbem non aliam ob causam Romanorum Imperio cessisse, quàm quia Religionem colerent*; ideoque sapienter à legumlatoribus fictas Religiones, & impositum hominum cervicibus scelestum ultorem Deum; quibus persuasionibus, licet cõmentitiæ sint & vanæ, tamen populorum animi à scelere & Statu perturbando coercentur. Itane verò Politici, sic mortalibus imponitis?

O Proditores humani generis; quid est pravaricari si hoc

Vives 1. de
veritate fidei
c. 9. & Cic. 2.
de Nat. Deo-
rum lib. sinè.

hoc non est? nam si id secretum de nomine tanti refert
 ignorari, quid illud proditis? quid illud profertis? quid
 illud enunciat? nunquid illud proferendo nos prodit-
 is, & vinculum dissolvitis, quo societas coetusque
 hominum continentur?

Habent rursus quod respondeant perfidiosi
 fycophantæ, ut ex hoc dilemmate se expediât: *Religione
 occu Lesbi,
 Regula uti-
 tur.*
 dicunt non promiscuè omnibus vulgarum esse
 hoc secretum, sed solis Politicis: Imperitis qui-
 dem atque ad serviendum natis hominibus cō-
 sultò à se coniectos istos religionum laqueos,
 ne efferantur insolentius, & evagentur extra
 obedientiam; sapientibus verò atque ad geren-
 dam publicam rem idoneis detecta esse hæc
 commenta & vindicis numinis inanitatem, ut
 sine hominum & divinitatis respectu pro vo-
 luntate & arbitrio Statum administrent. Proh
 Deus immortalis; potuitne Politica Vasticies
 excogitare artificium tam impium, quo uno &
 populos coërceret, & Politicos metu absolve-
 ret; & illis peccandi voluntatem eriperet, & is-
 tis quilibet audendi faceret potestatem?

Veni in eum locū, REX, ubi crudo, ut aiunt,
 ferro & decretorijs armis depugnandum con-
 tra præpèsterum hominum genus, cui sua Re-
 ligio & numen duntaxat est Politicæ fraudis
 obtentui. Plerique Politicorum credunt quidē
 Deum esse, (hoc illi profitentur, at utrum ex

DISSERTATIO

animo, penes eos sit fides) pietatem, religionē
 cōtinendis in officio populis perquam utilem
 dicitant; Principibus verò haud magnopere
 necessariā, imò plerumque posthabendam Po-
 liticis rationibus pronuntiant, si præclare suo
 Statui consultum velint; incolumitatem &
 maiestatem regnorum sitam esse in humanis
 consilijs, non autem in ea quam superstitioni
 plus satis prædicant, divina numinis providen-
 tia & præsidio. hoc dicere quid aliud est quàm
 dividere orbis imperiū cū DEO OPT. MAX.
 coelumque illi ad imperandum reservare? nisi
 os scelestis hominibus maturè obstruimus ve-
 reor ne plusquam Salmonei & Phaëtontes, ip-
 si etiam supremo numini fulgura extorquere,
 & involare in coelorum gubernacula molian-
 tur. Igitur in tuendis & augendis Imperijs plus
 humanæ industriæ, quàm divinis consilijs tri-
 buendum esse dicis cum tua Schola Machia-
 velle. Deliravit ergo Regum sapientissimus,
 vel potius ipsamet divina sapientia locuta ore
 Salomonis in hunc sensum. *Meum est consilium
 & equitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: Per
 me Reges regnant, & legum conditores iura decer-
 nunt; per me Principes imperant, & potentes decer-
 nunt iustitiam. futilia igitur & vana sunt ista ora-
 cula. In manu Dei potestas terra, & utilem rectorē
 suscitabis in tempus super illam. Regnum à gente in
 gen-*

*Sacris au-
 floritati-
 bus con-
 vinctur.*

Proverb. 8.

Ecccl. 1. c. 10.

1. Reg. cap. 2.

gentem transfertur propter iniustitias, & contumelias, & diversos dolos. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, suscitatur de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut solum gloria teneat. Domini sunt cardines terra, & dabit Imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui, Constitues me in caput gentium. Qui subvertit populum meum sub me. Super thronum sedere dedit, quia in veritate & iustitia & recto corde coram Deo ambulaverunt. Et quod post Regium Psalterium Ferdinandus Aragonius rebus afflictis Neapoli solvens usurpavit. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Et illud Danielis de Nabuchodonosore. Quando elevatum est cor eius, & spiritus eius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est. Eadem causa Baltassari regnum eripuit, & à Chaldæis transtulit ad Medos. Sed & illud divinx

Sapientia in sui amorem Principes invitantis quam grave & sanctum est, quam ab effatis Machiavellianis alienum? Ad vos Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam & non excidatis: si ergo delectamini sedibus & sceptris, o Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis; diligite lumen sapientia omnes qui praesitis populis: at, cuius sapientia? Machiavelliana? nihil sanè mihi: eius enim sapientia stultitia est apud Deum. Non urgebo hoc argumēto istam partem

3. Reg. 3. v. 6.

Psalm. 126.

Dan. 5.

Sapient. 6.

DISSERTATIO

tē diutius: quia vereor ne impij Politici dicant
 divina hæc oracula esse inanes minas legisla-
 torum & aliorum hominū famā sapientiæ cap-
 tantium his verbis & sententijs: Quapropter
 provocabo ad exempla, quod genus probatio-
 nis in hac materia potentissimum est; & efficiā
 ut, nisi planè obstupuerint, summam Rerump.
 & felicitatem imperiorum seu pace seu bello
 collocandam esse in præsidio æterni numinis,
 castę Religionis, & virtutum cultu intelligant.
 Quia tamen rursus vereor, ne Politicolæ æ eo-
 dem loco & numero sacros libros habeāt, quo
 habemus rerum equestrium fabulatores histo-
 ricos; non eruam è scripturis canonicis ea quæ
 allaturus sum: Non dicam Gedeonem confi-
 lio numinis, uno tubarum clangore, fictilium
 lagenarum complosione, tædarumque arden-
 tium fulgore copias innumerabiles Madiani-
 tarum ad mutuam cædem concitatas perdi-
 disse, & Iericho munitissimæ Urbis moenia
 evertisse. Tacebo Assyriorum centum octo-
 ginta quinque millia in ipsorum castris immis-
 so divinitus percussore contrucidata. Non di-
 cam Deum præstantissimos exercituum Du-
 ces Saüles, Davides, Iephtes, Machabæos,
 Samsones suis quasi manibus finxisse, virtutem
 bellicam, scientiam rei militaris inspirasse; au-
 ctoritate, felicitate, & reliquis imperatorijs

*Sacris item
 exemplis.*

Ind. 6.

ornamentis cumulasse: sexcenta id genus scîes prætermitto. Non referam Mose supplices ad Deum manus tendente Iosua hostes profligantem; remittente, hostium vim & impetus non ferentem; unde quivis facîle videat, plus potuisse inermis hominis orationes quàm armatas hostium manus; plus suspiria, quàm machinas; plus Sacerdotem quàm Imperatorem, plus religionem quàm arma ad victoriam contulisse. Quod cum non ignotaret Carolus Nonus Francorum Rex perduellibus hæreticis bellum inferre parâs, cuidam expeditionis difficultatē magnopere exaggeranti Iosuaâ pietate, & heroicâ in Deum fiduciâ respondit, se quidem pugnaturum, Sanctissimum verò Patrē (Pium V. Pontificem Max. intelligebat) pro se oraturum. Non invitus feret pro Christiana sua modestia & pietate valde contraria Politicorum placitis Christianus heros Ioannes Austriacus suo sanè dignus cognomine, si dixerò gloriosam illam victoriam quam ad Echindas insulas (vulgò Lepantâ) reportavit de Selimo Turcarum Rege, adscribendam potius esse eiusdem Sanctissimi Pontificis precibus, quàm Imperatoris fortitudini, licet profectò fuerit maxima. Mittamus hæc omnia, quia illi quos impugnamus nō sunt adeò devoti auctoritati sacrorum librorum, & Romanorum Pō-

Ex. 17.

tifi-

DISSERTATIO

tificum, ut hinc se expugnari æquo animo ferant.

*Imperato-
res Ecclesie
infecti, infe-
liciss. mi.*

Quære ab illis, (si modò ex animi sui sententia respondere velint) unde factum putent, ut Imperiũ simul & vita ablata sint Neronibus, Domitianis, Commodis, Caracallis, Helio-gabalis, Maximinis, Diocletianis, Licinijs, Iulianis, quorũ alijs cervices fractæ, alij in cloacas rapti, alij à domesticis, alij à milibus, alij à seipsis interfecti, alij de cælo icti, alij ignominiosa servitute mulctati; omnes (ut breviter dicam) pessimè sublati sunt. Nisi planè Politica impietas vobis oculos mentis exsculpsit, ô Politici, ultorem Deum fateamini necesse est pœnas reposcentem à Religionis hostibus & suis, sceptrò & communi spiritu ob id indignis. Valens Imperator Arianæ impietati se addixit recto numinis cultu contempto? vita & Imperio excidit. Anastasius Acephalis se adiu-nxit, nec tamen respuit Bulgaris & Sarcenis Imperiũ vastantibus? fulmine ictus pœnas luit. Heraclius & Constans Monotelitis adhæserunt? Uterque haud modica parte Imperij à Barbaris occupata infelicissimè extinctus est. Iustinianus Ecclesiæ leges & iura violavit? sensit se illicò horrendis cladibus affici, Imperio spoliari, naribus truncari, in exilium pelli, vitâ orbari. Philippus Bardanes, Leo Isauricus, Con-

Constantinus Copronymus, Leo Armenus, Theophilus, alijq; Religionem convellere aggressi? turpissimè profligati sunt, & polluta sanctitatis pœnas vindici Deo singuli gravissimas perfolverunt. Hebræi politici oburdere ad Christi Domini vocem, causari venturos Romanos, & ablatum iri suæ genti regnum, nisi illum maturè opprimerent? quid fecutum sit ex politico illo astu vidit, videtque Orbis universus: nemo enim est, qui cùm Iudaicam faciem ex florenti olim & splendida multarumque gentium victrice, nunc extorret, profugam, exosam, meticulosam intuetur; non possit meritò exclamare cum D. Augustino, *Quia temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, sic utrumq; amisserunt.* O inconsulta Politicorum consilia: ô insipientem sapientiam, ô præpostera ingenia, ô certissimas evertendi Status rationes. Turcam evocarunt tuendi Imperij causâ Palæologi & Cantacuzeni immortalis odio à se invicem dissidentes? Vtrique Turcicum iugum tulerunt, utrique in ordinem redacti, utrique Imperio everti, utriq; vitâ privati. Turcam auxiliarium sibi adhibuit contra Ferdinandum Regem Romanorū Isabella Hungariæ Regina? Ipsummet Turcam huius scederis ultorem (ita Deo res moderante) statim expecta est, Regno Turcis cedere, &

Judai temporalia spiritalibus præferentes utraque amisserunt.

D Augustini tractat. 49. in Ioann.

Nicolaus Isthannus lib. 14. hist. Hungar.

DISSERTATIO

Troicam fervitutum fervire coacta. Quam fatius huic & illis fuisset auscultare Christiane sapientia alia consilia suadenti, & meminisse Iosaphat Regem alioqui pium iustam divinae Maiestatis iram meruisse, quod b impio Rege Achabo ad societatem armorum invitatus eam admisisset, ac verbis istis firmaverit. *Ve ego*

Paral. c. 18. & tu, sic populus tuus & populus meus, secumque erimus in bello. Nam post infelicem pugnam in qua impius Achabus sagittâ in incertum iactâ lethaliter vulneratus est, Iosaphat Regem Iuda pacificè revertentem in Ierusalem & domum suam, Iehu Propheta sic est aggressus. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungaris? & idcirco iram Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, eò quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum. Meminisse iterum debuerant eundem Iosaphat initis amicitijs cum Ochozia Rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima, & participem ut facerent naves quæreret in Tharsis: hæc à iustissimo numine per Eliezer Prophetam audivisse. Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, cõruitque sunt naves, nec poterunt ire in Tharsis.

Nō possū omittere REX, quod sæpe cogitavi replicans animo illos Imperiorum interitus, in quos passim incidi historias & annales legens: qua-

quarum calumniarum fontes eum centò deprehendissem, dixi apud me sæpius, ita me ipsum compellans. Tu si alicui Reipub. pessimè velles, si alicui Regno infensissimus fores, si aliquod Imperium calamitosissimum cuperes, si aliquam gentem vehementer odisses, si aliquè Principem velles execrari; quid posses illi optare calamitosius, quid tetrius imprecari, quid funestius cupere, quo diriori carmine illius caput devovere, quàm si cum Iobo dicas? *Sit ut impius inimicus meus, & adversarius meus quasi iniquus.* Vel si dicas hunc in modum concipias: pietatem oderit, virtutem exterminet, Sacerdotum iura usurpet, fidem Catholicam opprimat, Machiavellianus sit: tã certum enim mihi est quàm quod certissimũ & ineluctabile, nullam capitaliorem esse Statui pestem; nullam certius Principi exitium, quàm si ad hæc audenda vel admittenda animam adiecerit; & conflata in Politicorum officinis nefaria ista studia in rem contulerit. *Va* (ut cum Divo Eucherio loquar) *va qui hac legenda in posterum, nunc ridenda deputant: va quibus hac prius experienda sunt, quàm credenda.* Calectum maritimam Gallia urbem multis annis Angli tenuerant, cum receptum est à Francisco Duce Guisio: Anglos ex eo loco discedentes Gallus quidam sic interrogavit. *Potro Nobiles Angli ecquando huc*

Iob. 17.

Hom. 1. ad mon.

Regnarum
& victoria
rũ iustus ar
biter Deus.

DISSERTATIO

reverti stis, & Francos Caetero expulsi. En sapiens responsum. Tum postliminio revertentur, (inquit unus ex Anglis) & hanc arcem recipiemus, quando scelera vestra nostris sceleribus erunt graviora. Quid dixisses Machiavelle, si hoc audivisses? vides in media licentia militari milici nec ita excidisse bonam mentem, ut in politica & scelerata tua prudentia, non autem in divini numinis æquitate fitas esse victorias putet? quod si te pudet admoneri à milite, accipe in eundem sensum memorabile dictum Regis Athalarici; *Vnum recumbit in altero; facilius inimicorum acies cedunt, si nostro ævo delicta subducimus.* Valens Imperator Arianus unum è militiæ suæ ducibus Traianum nomine, religione Catholicum adversus Gothos cum exercitu misit, Traianus pugnavit infeliciter, superatus est. Redeuntem Valens pessimè excepit, convicijs laceravit, ignominiam exprobravit; at ille libera voce, ut fortem virum decebat, sic respondit. *Non ego, ô Imperator, victus sum, sed tu ipse victoriam perdidisti, qui contra Deum aciem instruere nõ desistis, & ita auxiliũ barbaris cõstitas.* Si hæc ab aliquo Monacho aut Eremita dicta forent Machiavelle, ridentes, & cucullatam superstitionẽ esse diceres; at chlamydati & bellicorum duces vulgò superstitiosi esse non solent. sed ut clariùs agnoscas Regnis & Regibus &

Cassiod. li. 9. varia. in ed. Athalari-

Theodor. l. 4. cap. 29. Hist. Trip. l. 8 cap. 13. & ex illis Ribadn. li. 1. c. 8. de Princ. Christi.

victorijs moderantem Deum, accipe quod postea secutum est. Quos Valens Gothos ex fide Catholica ad sectam Arianam adduxerat conditione iustificandis, iusto Dei iudicio ab iisdem in pugna telo confixus; ab iisdem in proximam casam fugere cōpulsus, ab iisdē vivus flammis vetricibus crematus est. Valentinianus iunior à Iustina matre deceptus favebat Arianis, quid inde retulit emolumentum? quid in Imperij conservationem præsidij? Illico Maximum, tyrannum quidem, at Catholicum, instantem sibi à tergo sentiens Mediolanum fugit: quod cum rescivisset qui per ea tēpora Thessalonice degebat Theodosius senior Valerianum per litteras admonuit, *haud se mirari, si metus Imperatoris obiectus sit, robur Tyranno adiectum; Imperatorem armis pietate oppugnasse, Tyrannum defendisse; quid verò mirum si pietate armatus Tyrannus vicerit? Imperator pietate destitutus fugerit?* Divinū ac roama & dignum Imperatore Hispano; cuius fidem & religionem eiusque promovendæ studium Deus tot victorijs illustravit, ut (Divo Augustino teste) *in prælijs tela hostium in ipsos retorquerentur.* Et quoniam mentio incidit Divi Augustini, qui unus ingenio, perspicacitate, iudicio, humana ac divina sapiētia millenas Politolatratum centurias superat, videamus quid censuerit de Magno Constantino, quem certū est

Socr. l. 4. cap. ult.

Amm. l. 31.

Theodor. l. 4. cap. 31.

l. 4. Cod. Theod. de fide Cath.

Zozim. l. 4.

Ruff. l. 6. cap. 10.

Zozim. l. 4.
Tom. 1. opt.
Rom. pont.

Theodosij senioris, et magni Constantini pietas omni felicitate cumulata.
D. Aug. lib. 5. de Civ.

est

D I S S E R T A T I O

Et in administratione Imperij valde abhor-
mille à Politicorum placitis, utpote qui Chri-
stianis institutis adhaerens fuit. Constantinus
Imperatorem (inquit) non supplicentem Dæmoni-
bus, sed ipsum verum Deum colentem tantis imple-
vit muneribus, quanta optare nemo audent: Univer-
sam Orbem unus Augustus tenuit & defendit, in ad-
ministrandis ac gerendis bellis victoriosissimus fuit,
in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est;
grandævus ægritudine & senectute defunctus est; fi-
lios imperantes reliquit. Hæc te rursus, et pello
 Machiavelle, hæc cum legis, vel audis; dic per
 tuam fidem, si ullam habes; dic, estne tibi sat
 frontis & animi, sat dementiæ & impietatis,
 ut suadeas tuis sectarijs in civili gubernatione
 Ethnicam religionem Christianæ præferant,
 & de Catholica Romana Ecclesia pessimè
 sentiant? Quis Romanos Pontifices religiosius
 coluit quàm Constantinus? quis religionis Chri-
 stianæ observantior? quis hæreticis infestior,
 quis felicitior fuit? Longè etiam absuit à tuis il-
 lis regulis, scelestæ Politicæ, Iovinianus Impe-
 rator, de quo hæc Divus Gregorius Nazian-
 zenus refert, quæ expediret scribi cubitali cha-
 ractere omnibus linguis, & quotidie à Princi-
 pibus & Rerump. moderatoribus attentè legi,
 tanquam synopsis omnis civilis disciplinæ,
 maiestatis columen, & præmasium firmamentum

Imperij. Τα ἔργα αὐτῶν προσηλασθέντων τῆν τῆς βασι-
 λείας κρωπίδα καὶ ὄθρον αὐτῆς ἐνομίας ἀξίοντα. ἅνα μὲν
 ταῖς ἐπισκοποῖς τῶν ἑξωτερικῶν καὶ ἴντα, ὡςτε μάλιστ' αὐτῶν τῶν
 κῆρυξ ὄλον, ὄσον τι συμφωνῶσα, καὶ ἄς ἐν ἐλθεῖν τῆ συνεργία
 τῆ Πνεύματ' ὁ ὁ ὁ ὁ αὐτῶν γε μετὰ τῆς βελτίους
 γίνεσθαι κερῶν, λίαν ὕψιλῶς τε καὶ μεγαλοπρεπῶς, περὶ
 τῶν μεγίστων διακινῶμεν. *Iovianus ut Imperij sui statum
 pulcherrime lasceret, restitutaque legum sanctionem,
 unde conuenit, auspicaretur, Episcopos (expulsos à
 Iuliano) sedibus suis restituit; adlaborauit ut ma-
 ximè quidem uniuersus Orbis, si fieri posset, in fidei
 negotio consentiret, spiritusque auxilio in unum coi-
 ret: sin minus, ipse certè Orthodoxæ parti se adiunge-
 ret, simulque & ei robur afferret, & ab eâ vicissim
 acciperet, excelsè simul & magnificè de rebus maxi-
 mis cogitans.* Recentius est quod Andreas Victo-
 rellus Theol. Doctor in hanc sententiam &
 his verbis refert. Stanislaus Cardinalis Hofius
 sanctitatis, doctrinæ ac Christianæ sapientix
 clarum superiore sæculo iubar, idemq; in Cō-
 cilio Tridentino Pontificius Legatus, & non
 semel *Religionis Columna* à Pio V. Sanctissimo
 Pontifice appellatus, hortatus est aliquādo Si-
 gismundum Poloniæ Regem, ut hereticos des-
 piceret: Rex ad eius provolutus genua post la-
 ctymas dixit. *Ago tibi gratias quòd me tanta liber-
 tate ad ea quæ sunt muneris mei hortari non desinis;
 talem te semper agnovi salutis honorisque mei cupi-
 disimum; talis nunc experier; perge ut fecisti, Dei
 mei*

DISSERTATIO

mei voluntatem annuunciare. Idem Regi qui belli in Moscos suscepti progressum illius precibus commendaverat, respondit. Noli permittere subditos tuos contra Deum rebellare, & ipse faciet contra te bella cessare: noli putare ex verso, in tuo imperio, Regno Christi, Regnum tuum diutius florere posse.

Infectatio prudentia pseudo-politica.

Hic tuum numen obtestor **DEVS OPT. MAXIME**; si vera sunt quæ cōtrà sentiunt & dicunt impij Politicolatræ, quàm proclive foret humanæ mentis imbecillitati te scelerum fauorem & administrum appellare? quàm proclive Principibus & Politicis scelestè & flagitiosè vivere, si ex suis maleficijs & importunitate; ex sua perfidia & nequitijs, ex religionis cōtemptu publicam beatitatem nasci animadverterent, qui sæpe malo & calamitatibus vix adduci possunt, ut boni sint? Interdum quidem (licet rarò) felicitatem politicam comitem esse improbitatis politicæ voluntas tua est; alioqui nec de tua iustitia, si illa semper humanis oculis cerni posset, fidem haberemus. Barbaros & servituti natos interdum pacificè dominari; homines ab omni sapientia, & humanitate, atque à te alienos rerum feliciter potiri; hominum monstra & devota æternis supplicijs portenta sedere in solio, florere, vincere, honorum accessione & honoribus affluere, res prosperè & ad voluntatem fluentès sortiti, aliquando divinæ
 tuæ

tux pronocet abstruſiſſimum conſilium eſt; ali-
quando divinae tuae iuſtitiae manifeſtum argu-
mentum. At id perpetuum eſſe aut frequens;
& rationes politicas à tuo numine & volunta-
te diſcrepantes certam patere ex ſeſe civilem
beatitudinem; & eum in Repub. ſtatum conſti-
tuere, quo improbus Princeps atq; à Machia-
vello inſtitutus, bene, beateque, ac diu frui poſ-
ſit; recta ratio id falſum eſſe perſuadet, omnia
retro ſaecula innumerabilibus exemplis velut
tot linguis falſiſſimum eſſe pronuntiant, tuaq;
ipſius vox, Præpotens numen, id à quoquam
credi vetat.

Non proinde Principes deſinunt homines
eſſe, eo quod regnent Machiavelle; non ideo
ſunt divinis legibus ſoluti, quòd iura homini-
bus ferant: *Illis quidem, quotquot ſub ipſorum ditio-
ne ſunt, militant;* ait Divus Ambroſius; *verùm tu
ipſi Principes omnipotenti Deo militant, & ſacra fi-
dei.* Si nefas, fas illis eſſe ais & publicæ rei con-
ſultum, quia politicæ leges & inſtituta id fas
eſſe, & Imperij maieltati conſentaneum deſi-
niunt: erras impie, erras, & infirmior eſt tua cæ-
terorumque, quos ſuprà commemoravi, tui ſi-
milium auctoritas, quàm ut tuos illos Princi-
pes & regna ab ultore & vindice Deo tegete
poſſit. Papæ, quid eſt hoc? ſi quis ſubditorum
non obſervat Principum nutus; ſi quis num-

D. Ambroſius
Epiſt. 111.

DISSERTATIO

mos aut rescripta adulterat; si quis negotio-
rum contra leges & edicta suæ rei & privatis
commodis consulit; subito proscribitur, fortu-
nis omnibus evertitur, furcæ addicitur: Si quis
magnatum obedientiam abijcit, si quis quid-
quam adversus maiestatem molitur; illico re-
ductus in ordinem relegatur, deportatur, securi
subijcitur; nec ulli impunè licet impositum si-
bi à Principibus iugum vel levissimè excute-
re: & patietur Deus eosdem Principes vecti-
gales & stipendarios suos, sibi que omni gene-
re servitutis obnoxios scripta à se iura despue-
re, humana divinis antepone- re, insultare suo
numini, fidem, pietatem, religionem missas in
hunc Orbem consiliorum Præsides, ac rerûp.
moderatrices ita ab illis contemni, ut eas co-
gant terrenæ prudentiæ Babylonicæ meretri-
ci, & impurissimo illi Idolo quod Politici, *Sta-
tum* vocant, serviliter & indignissimè ancillari?

Socr. l. 3. c. 22

Deum non colitis sed purpuram. Ô Politici, dicebat
olim de vestri similibus Iovianus: sceptrum
Christi fascibus Principum huius mundi sub-
mittitis; nec reformidatis illud Deum alloquẽ-
tis Prophetæ. *Gens & regnum quod non servierit
tibi, peribit.*

Mat. 16.

*Hispania
Machia-
velismo
inf. nsa.*

O me felicem qui contentâ voce, libero spi-
ritu, exporrectâ & hilari fronte ac securus, ex
hoc loco, hoc est, in umbilico Hispaniæ, in Vr-
be

be Regia, in ædibus regijs, & meo Regi hæc scribo, & loquor. O te beatam Hispania, ubi nunquam auditur impiam illud Donatistarū, quod tam acriter reprehendit Divus Augustinus. *Quid Imperatoris cum E.lesia?* perinde ac si Religionis cura & incrementa aliena forent ab officio Principis. Verba mihi desunt quibus tibi, ut par est, gratuler Hispania, quæ hæctenus (Orbe universo teste) effecisti, ut tantumdem Imperij Ecclesie acquisitum sit, quantum Imperio tuo est acquisitum; tantum verò acquisitum est, quantum locorum ornatissimis classibus, & florentissimis exercitibus tuis percurrere potuisti; porro tantum percussisti, quàm orientis & occidentis Orbis immensitas patere potest & Oceanus complecti. Miseram tuam sortem, si eo Machiavellismi venires, ut nec possent legitimi Ecclesie filij tibi tuos triumphos gratulari, sine scelere proditæ Religionis; nec tuas clades dolere, sine prodendæ periculo. Quid enim Ecclesie de te conquerenti opponeres, quid excusares? *Statum?* vile mancipium præ sponsa Christi? *Statum?* scabellum pedum illius Reginae, quæ adstat à dextris Dei? *Statum?* auderes si Christiana es, & Ecclesiam matrem appellas? Vis dicam quod sentio, mitissimè loquar, quantumcumque alijs in rebus pietatem, ac religionem Catholicam coleres, non video

Opta Miser.
lib. 2.

D. Aug. contra
Iulianum Pe
tit. lib. 2. c. 92.
Ioann. Borer.
de Regia sa-
pient. lib. 2.
cap. 3.

DISSERTATIO

quomodo sine exceptione tu pia, & Catholica dici posses. Vnum spondeo: si te Machiavelli consilia sequi viderem, ego in te styllum acerrimè distringerem, in te acuerem, in te converterem: & si pro hac causa mori mihi contingeret, nulla mors mihi obvenire posset fortunatior, nihil quod martyribus inviderem.

*Philippi
IV. & Hispanorū in
propaganda
Religione
incensum
studium.*

Felicem te PHILIPPE REX CATHOLICE, qui illi genti imperas, cuius nomen hodie non tam est nomen gentis quàm Orthodoxæ religionis; nō minùs inclytum pace, bello, terra, mari, doctrina, opibus, hercica fortitudine & sapientia, quàm fatale impietati, & auspiciatum pijs omnibus Catholicis, qui si fortè illud adscriptum vident aliquibus pacis conditionibus cum Principibus à nostra religione alienis; tunc Ecclesiæ præclarè consultum nihil dubitant, nihil ab Hispanicâ pietate prætermissum, quo ~~extincta~~ extincta religio reviviscere; vel si tenetur oppressa libetius respirare; vel si nunquam fuit admissa, tum demum introduci queat. Nō habet tua Hispania quod flagant ius ambiat, quàm ut longissimè proferat rectam in Deum fidem, & Regnum Christi amplificet. huc spectant sapientissima illa Concilia, quæ tuis Imperijs continuò invigilant: id tibi in monitis & exemplis reliquerunt potentissimi Reges, & augusti Imperatores maiores tui; hoc

Re-

Regiæ tuæ menti penitus infitum; hoc altissimè infixū animo intimi tui Gasparis de Guzman Comitis de Olivares Ducis de Sanlucar, &c. quem velut alterum Alcidem tibi præcipuum adiutorem adhibuisti ferendo regnorum tuorum Orbi, quæ vel ipse Atlas, si solus sustinere velit, momèto fatiscat. hoc demū facere nõ cessas, ut quotquot Rebusp. præfunt, discant nullâ re magis florere Imperia, quã verâ in Deū pietate; nulla ratione meliùs propagari, quàm Religionis propagatione; nullis fundamentis firmitus stabiliri, quàm quibus Ecclesia nititur: Principi, si bene sibi & suis esse velit, nihil terèdum frequentius dicto Theodosij nostri in novella. *Iner ceteras sollicitudines (inquit) quas amor publicus per vigili cogitatione nobis indixit, præcipuâ Imperatoria maiestatis curâ esse perspeximus, vera Religionis indaginem, cuius cultum si tenère poterimus, iter prosperitatis humanis aperimus incertis.*

Theod no. 2
velli de Iudo

Nemini iure videri debeo nimis effusus in laudes Hispanorum Principum & Hispanæ gentis, cum singularem eorum pietatem ac studium Ecclesiæ sanctæ rectæ conservandæ atque amplificandæ commendò. Mirarer si cū sciant ex annalium suorum monumentis id se nunquam frustra fecisse; id est, nunquam sine proventu cultam à se Religionem, atque adhibitâ expeditionum suarum atque consilioium mo-

Religio His
panicū Im-
perium vi-
cissim tue-
sur.

DISSERTATIO

deratorem, id non facerent. Propè abest ut dicā, id esse quoddam genus eorum contra fluū, quos morales Theologi *Innomatos* appellant; cum aliquid datur aut fit, ut ab altero vicissim aliquid fiat vel detur: quam negotiationem ut quisque Principum consultissimus est, suarumque ac publicarum rationum optimè gerens, ita illam sollicitè cum DEO. OPT. MAX. exercet, & quidem sine sordibus. Eam si fecisset everfor omnis probitatis & fidei Machiavellus, fecissentque Politici intitotes qui Machiavello dedēre operā quamplurimi; ac meminissent quod dictum est à Tertulliano, omniumque retrò sæculorum experientia comprobatum, *Interesse hominis cedere Deo, & esse debere religiosum in Deum, qui vult illum propitium Imperatori*; & quod ad Iustinum Imperatorem Hermidas Papa scripsit. *Dei adversarios velut proprios comprimere inimicos, hac maxima Respub. fundamenta; hoc solidum iunctumque robur; neque enim humanis ictibus potest esse pervium, quod est divina gratia firmitate vallatum. Testis est huic Prophetica scriptura; ait enim, Elegi David servū meū, oleo sancto unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. His, inquam, artibus si publicæ rei consuleretur, fundatissimos & felicissimos Status videremus. Equidem si vel nihil aliud sit, quàm obrè*

His-

Tertullia. in apolog. c. 23. & 24.

Baron. ann. Chr. 519. to. 2. pag. 37.

Psalm. 135.

Hispania tantopere Religionem colat, præter
 eiusdem Religionis mutuum erga Hispaniam
 studium, atque in Hispanico Imperio tuendo
 & dilatando paratum favorem; satis su perque
 est, ut nihil officij prætermittatur, nullis sumptibus
 parcat, nihil nõ agatur, ut Religio præ-
 sit rebus omnibus agendis & consilijs; eique
 constantissimè & ex animo, uti hæctenus factũ
 est, serviatur.

§. III.

D Electavit me nõ semel, REX CATHO-
 LICE, legentem varios annales *pium &*
Deo spectatore dignam certamen, in quo Ec-
clesia Catholica & Reges Hispania matuorum me-
ritorum palmam iam pridem sibi invicem præripere
conantur: Isti Ecclesiam Catholicam quibus
 possunt officijs & obsequijs fovendo, ornando,
 locupletando, defendendo, propagando; illa vicif-
 sim nutritios suos, cultores suos, defensores suos,
 legonarios & præsidarios suos novis novisque
 in dies honorib^{us}, opibus, titulis, regnis augendo:
 quæ omnia licet præmia sint Hispanicæ forti-
 tudinis; tamen ipsa fortitudo præmium est His-
 panicæ religionis & pietatis. Et hoc est prima-
 sium huius dissertationis (quemadmodum præ-
 sefert titulus) institutum & argumentum; ad
 quod tractandum cur tardius descenderim, nes-

*Hispanicæ
 Imperij in
 crementũ ex
 studio Or-
 thodoxæ re-
 ligionis.*

DISSERTATIO

cio quomodo nunquā satis deſtetāda Machiavelliana impietas cauſa fuit; præterquam quod putavi Machiavellimū è ſuis penetralibꝫ eruiſſe, & ignominioſè traduxiſſe per omnium ora, atque auctoritatibus, rationibus, & exemplis iugulaſſe, optimum fore præludiū ad conſecrationem Chriſtianæ ſapientix, quam Hiſpania feliciffimè adhibet moderando Orbi ſuo & conſilijs Præſidem. Agedum ſpectemus nobilem illam contentionem, & videamus pluſnè dederit Hiſpania Religioni, quā rependerit Hiſpaniæ Religio. Quamquam ſi Hiſpanos & Hiſpaniæ Regum pietatem conſulas, ſtatim pronuntiabunt pro Eccleſia: & tamen ſi maxima ſint quæ pro ea fecerunt; ſunt tamē pro ipſorū voluntate & ſtudio per exigua: ſibiq; arbitrat̄ur convenire, & meritò uſurpandum quod in conſtitutione ad Clerum Romanum data dixit Athalaricus Rex apud Caſſiodorum. *Tanto divinitati plura debemus, quanto cateris mortalibus maiora ſuſcepimus; nam quid ſimile rependet Deo qui poſitur Imperio? ſed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè, ipſi tamen gratia red- datur, dum in ſervientibus honoratur.* Quæ grati animi verba & opera dum conſidero in Hiſpanis erga Eccleſiam, continuo ſuccurrit animo vetus illud; *Beneficium dando accipit qui digno dat; & quod in bonos conferitur beneficium gratia gravi-*
da

da est bonis. Dabit nobis aliquando præpotens numen, ut hoc argumentum repetamus à multis sæculis, tractemusq; fufius per otium. Nunc paucis retexam non amplius centum quinquaginta annos, quorum spatium mirum est quantopere Hispanica Corona amplificata sit, DEO OPT. MAX. regie pietati, & Christianæ sapientiæ gratiam (si ita loqui fas est) cumulatè referente; atque Hispaniâ se totam in Ecclesiæ defensionem & propagationem impendente.

Ferdinandus quinquagesimus atavus tuus PHILIPPE, iacto Religionis Orthodoxæ solido fundamento immentam hæc Hispanici Imperij molem excitavit unâ cum invictissima & sanctissima Heroïna uxore Isabella, quod imponi rege nō poterat, nisi nulli cessuræ ponderi Christianæ sapientiæ; Mauricam impietatē è Regno expulit; Sacrum Inquisitionis tribunal, cui etiam ipsemet voluit subesse (inquit Gilbertus Genebrardus) tanta felicitate constituit, ut pauculi Sacerdotes tantum præstent pro Catholicæ fidei integritate, & pro Hispaniæ pace & securitate, quantum efficere non possent ducenta armatorum millia si continuò in armis sint. Videamus quid Hispanico Imperio addiderit. Africæ oram invasit; maximos portus munitissimasq; vbes cepit; inter cæteras Oranum Mauritanicæ Casariensis Emporium ce-

*Eius res
exempla
in Ferdinã
do Catholi-
co.*

*l. 4. Chron.
ann. 1484.*

DISSERTATIO

lebetrimum, simulque Imperio Ecclesie & Hispanie defendendo atque ulterius proferendo longè opportunissimum; Francisco Cardinali Ximeno Archiepiscopo Toletano expeditionis auctore, duce, necnon ex proprijs opulenti sui Sacerdotij redivibus instructore, nimitum ut exploratius esset mutuum studium Religionis de temporalibus incrementis Ferdinandi, utique tuende atque amplificande religionis studiosissimi. Granatæ Regnum incredibili virtute & Hispaniæ bono recepit, itemque Neapolitanum & Cantabriæ Regna in Provinciarum formam redegit: Novum Orbem Christophoro Colūbo Duce nobis aperuit, eumque non tam sibi quàm Deo Evangelij prædicatione subiecit: atq; in hac tanta gloria rerum præclare gestarum, nihil illi charius, nihil optabilius *Regis Catholici* cognomine, quo Pontifices Romani singularè invictissimi Principis pietatem & Religionè honorarunt. Quæ antidora, Deus immortalis; quàm luculentis præmijs Regis Ferdinandi pietas, & studium Orthodoxæ religionis divinitus munerata sūt? Putares divinum numen velut in certamē cursus compositum, & carceribus inclusum opperiri suum tempus, ad quod velut dato signo ad benefaciendum profiliat.

Joann. Boter.
li. 1. de regia
Sapientia.

In Philippo
Primo.

Ferdinando successit Philippus Primus Austria-

Striacus abavus tuus; qui quidem si exiguo illo tempore quo regnavit nullum aliud gentilitiæ & privatæ pietatis præmitum à Deo habuisset, præter Carolum Quintum, & Ferdinandum Primum Imperatores, & tantorum regnorum Reges filios, adeptus humanæ culmen felicitatis, putandus esset.

Carolo Philippi filio, Ferdinandi & Isabel-
 le nepoti. Proavo tuo eximia pietas atque erga
 S. R. Ecclesiam reverentia Romanum Impe-
 rium in sollicita & acerrima maximorum Prin-
 cipum præfatione undeviginti duntaxat an-
 nos nato obtinuit; ipseque biennio post in reli-
 quæ vitæ heroica facinora, & in incrementum
 patrimonij, favorem & studium divini numi-
 nis sibi devinxit piâ mentis inductione, quam
 in causa Catholicæ Religionis Luthero insa-
 nire incipente testatus est. Non pigebit hic re-
 ferre decretum animi Hispanicè & Austriacè
 Catholici, quandoquidem (ut scribit vit notæ
 sanctitatis & fidei Laurentius Surius) lectum
 est Romæ VI. Idus Maias Anno M. D. XXI.
 in publico Consistorio coram Cardinalibus
 iübente Pontifice, & ab utrisque ea Cæsaris
 constantia, zelus, & integritas egregiè com-
 mendata: Sic itaque Carolus Cæsar in Co-
 mitijs Vormatiensibus quibus primùm præfuit,
 mentem suam (ut perennior & testatior esset)

*In Carolo
 Quinto.*

*In comment.
 ad ann. 1521.*

DISSERTATIO

propria manu scriptam exposuit. Non clam vobis
 est me genus ducere à Christianissimis Imperatoribus,
 ab illustri natione Germanorum, à Catholici His-
 pania Regibus, ab Austriacis Archiducibus, à Burgu-
 ndorum Ducibus, qui omnes ad supremum usque vi-
 ta diem se fideles Romana Ecclesia declararunt, sem-
 perque Catholicae fidei, sacrarum Ceremoniarum, De-
 cretorum, Constitutionum, sanctorum morum, pro
 Dei honore, pro fidei incremento, pro animarum salu-
 te propugnatores fuisse: qui vita functi nobis ex na-
 turæ instinctu & iure quodam hereditario sacra que
 diximus Catholica instituta quasi per manus tradita
 reliquere, ut in eorum vestigijs insistamus, & in ijs
 etiã mortem oppetamus. Et nos quidem utpote ma-
 iorum nostrorum non fallaces imitatores, Deo nos be-
 ne iuvante, in hanc usque diem eo pacto viximus.
 Itaque stat sententia tueri & propugnare quacumq;
 sum antecessores mei, tum ego ipse huc usque observa-
 vi: id autem vel maximè quod per antecessores meos
 tam in Constantiensi quàm alijs Synodis sancitum est.
 Cum verò apertum sit unum solum fratrem (Lu-
 therum) hallucinari privata opinione deceptum;
 qua quidem cum totius Christianismi sententia pug-
 net, tam eorum qui ante mille annos præcesserunt, quàm
 qui in præsens vivunt, eaque præferre Christianos
 omnes hætenus semper in errore fuisse. Eam ob rem
 plane deliberatum mihi est, Regna mea omnia, Im-
 perium, divites, amica, corpus, sanguinem, totam

denique ipsam & animam impendere, ne improbus hic conatus longius progrediatur; quandoquidem in meam haud exiguam, itemque vestram id cessurum sit ignominiam, qui praeclara & cum primis estis celeberris Germaniae natio, quibus id in honoris, auctoritatis, prerogativa cumulum accessit ex privilegio, ut iustis & observantissimis, Catholicaeque fidei defensores & propagatores habeamur. Quod si qua igitur non modo heresis, sed suspicio hereseos, vel aliqua Christianae Religionis minutio in hominum animis vestra tempestate relictum erit, id posteris nostris perpetua vituperationi fuerit, &c. Scripta mea manu XIII. Aprilis Anno M. D. XXI. haec est illa Carolinae felicitatis, & infinitarum victoriarum sementis, quam postea seges triumphorum copiosissima secuta est.

Quam bene innatum tibi ad gloriam impetum in fidei defensionem exeris Carole Eleazar illius sanctissimi exemplo, qui de violanda divini neminis lege sollicitatus cogitare cepit ingenitae nobilitatis canitiem, fortiterq; ac praecise pronuntiavit, se honesta morte defungi malle pro gravissimis ac sanctissimis legibus, quam secus faciendo maculam & execrationem suae senectutis acquirere. Tuam istam Imperator divinam pietatem, & devotum studium erga fidem Catholicam per me abest quin appellam *attractorem, viscatum, attractorem*

Mach. 2. c. 25

1660
1661

DISSERTATIO

beneficium, quemadmodum quædam gratiæ & beneficia dici solent, *quæ qui facit, maiora recipit; qui capit, capitur, & rependit plura quàm acceperit.* hac enim tua Christianæ sapientiæ professione ita captus est Deus, ut in te uno ornando, augendo, amplificando intentus postea fuisse videatur. Quæ ora, quæ regio, ad quam tuarum victoriarum fama non pervaserit, adeoque tuorum triumphorum monumenta non viderit? haud multo facilius sit orbem ambulando percurrere, quàm tuorum itinerum & trophæorū vestigia relegere. Tu Religionis præsidio fretus, cuius restituendæ incredibili desiderio ardebas, Landgravium Hassiæ, & Saxonæ Ducem cepisti; tu fortissimos Duces, maximos exercitus, ferocissimas gentes cum insigni gloria Divini numinis cui militabas, sæpe exiguis copijs, ijsque hyemis asperitate atque inopia rerum omnium propè attenuatis, fregisti. Nonne plusquam Cæsarea fuit illa vox in quâ prorupisti Ioanne Federico summa celeritate debellato & capto, divinæ manus præsentem opem agnoscens. *Non possum dicere quod olim Iulium Cæsarem dixisse ferunt. Veni, vidi, vici: sed veni, vidi, & Dominus Deus vicit.* Quantum est istud quod idem Laurentius Surius testatum reliquit his ipsis verbis in commendationem illius favoris, quem Deus tuæ pietati præstitit. *Per id ferè*

Genebrad. in
 Chron. l. 4.

ferè tempus (scilicet Turca Austriae, Moraviae, & Hungariae infesto) *Cæsaris res iam plane desperata videri poterant, tribus Regibus in illum conspirantibus, nisi pium Principem defendendam sibi sumpisset prapotens Deus.* Rides Machiavelle cū pium Principem à Deo susceptum & defensum audis; Monachismum esse clamitas, & dignam raso capite gratulationem: verum qui vicissim tuam doctrinam Atheismum appellabit, falletur? Mittamus impium Politicum; ad Carolum Cæsarem redeamus. Tu Ducatū Mediolanensem tuo patrimonio addidisti, & Luxemburgicum recepisti: Tu Flandriam iure fiduciario & clientela exemisti: Tu Principes & Reges è suis ditionibus & regnis eiectos armata manu restitisti: Tu uno prælio tres Reges cepisti. Cæteras victorias & accessiones opum, honorum, patrimonij maximopere replicare optaverim, id si fieri obiter posset, aut deberet: Quæ incrementa gloriæ & humanæ maiestatis, licet in hoc Orbe nostro quamaxima fuerint, haud tamen paria fuerunt tantæ virtuti.

Debeatur pietati tuæ & studio religionis, necnon & Christianæ sapientiæ Novus Orbis ad summam potentiam, novique honorum tituli quibus illustriores esse non possent, ad gloriam. Neutrum tibi deesse Deus voluit. Ame-

DISSERTATIO

ricæ amplitudinē, quæ est dimensionis ter mille
 & quingentarum leucarum communium qui-
 cumque bene norunt, nō aliter eam vulgò quā
Novum Orbē appellant: at sive illam tibi, tuisq̄;
 ac sibi Religio acquisiverit Carole; sive tu illā
 Ecclesiæ, tibi, ac tuis; paris felicitatis est, & di-
 vitæ in Principes Religionis studiosos benefi-
 centiæ. Omnino Religionem tuæ, tuorumque,
 & Hispaniæ magnitudini ac potentiæ admodū
 addictam esse necesse est; quandoquidem tuis
 auspicijs & Hispanorum tuorum virtute, brevi
 spatio tantopere accrevit, ut iam circiter sexa-
 ginta anni sint, cum gravis ille auctor quem su-
 pra laudavimus Laurentius Surius scripserit.
Tot hominū millia in novo Orbe Carolino (sic enim
 vocant) *Christi fidem complexa esse, quantum esse*
possit in veteri Orbe nostro; atque in solo Regno Me-
xicano (quod unum est ex decem & octo reg-
 nis Americæ) *iam pridem fuisse octoginta sanctis-*
sima monasteria, & in dies plura fieri. Deus im-
 mortalis quot nunc esse oportet, cum nova in
 dies instituta sint? quot Canonicorum colle-
 gia, quot seminaria adolescentium, quot Aca-
 demias, quot Episcopatus in Catholicissimo
 illo Imperio, in quo non minoris est auctori-
 tatis sacrum Inquisitionis Tribunal quàm in
 Hispania, & cum quo in fidei Orthodoxæ in-
 tegritate pars maxima veteris Orbis certate

non

nō audeat. Alterum, videlicet *Maximi & Fortissimi* cognomē Paulus Pōtifex Maximus in diplomate quod Halæ anno millefimo quingentesimo quadragesimo septimo accepisti, tibi contulit: quem titulum Carole nec ipse Carolus magnus ullo modo tuæ virtuti inviderit; quos enim Saxonas triginta annis ægre domare potuit, tu illos minus tribus mensibus tibi parere cōegisti. Sed voluntarius ille secessus, & Imperij tantorumque Regnorum abdicatio, piæ ac religiosæ solitudinis fruendæ gratiâ, beatæque æternitatis præcipiendæ desiderio, quanta pars censei debet divinæ erga te benevolentiæ, & favoris? Ausim dicere: suscepto gestoque Imperio Carolus gloriosissimus fuit; at sponte deposito, infinitis partibus gloriosior.

Planè irreligiosus sim & ingratus, si saltem verbis non agnovero insigne beneficium sive Caroli, sive Christianæ sapientiæ; sive (ut propriè loquat) Christianæ Caroli sapientiæ erga patriam meam. *Sequani* sive Burgundia superior, quam vulgò Liberum Burgundiæ Comitatum vocant, est provincia quæ in domum Austriacam, & cum domo Austriaca ad Reges Hispaniæ feliciter devenit per conjugium Maximiliani Austriaci cū Matia Caroli Audacis Ducis Burgundiæ filia. Ea Sequanorum gens summo Dei beneficio à Calvinianis, &

Comitatus Burgundiæ suam felicitatē acceptam referunt Religioni, & secundū Deum, Religionē Carolo V.

DISSERTATIO

Lutheranis, alijsve impijs se His a seò intacta est, ut vel eò etiam nomine verè se *Liberam* esse, meritò se Virginem in Domino gloriatur, si ceteris terris hæc esse peste infectis ferè tota cingatur, & finitima sit ipsi Genevæ: omnis impietatis Metropoli. Quæ fidei Orthodoxæ posterioribus hisce temporibus integritas, secundum Deum, magnâ partem referri debet Christianæ sapientiæ Caroli Cæsaris, qui Provinciam illâ tam opportunis legibus contra hæresim vallavit, ut nullum ibi scelus capitalius sit rerum sacratum contemptu, & defectione ab avita fide. Carolinam illam cautionem manifestus Dei favor, & duplex insigne bonum secutum est: alterum quod Sequani, periode ac si in summo Olympo stent, videntur iampridem, videntque etiamnum finitimas gentes ardere bello, & bello adiunctis calamitatibus vexari; interea dum ipsi alta & diutina pace, pacique comitatibus bonis fruuntur: alterum ad Sequanorum Principem spectat; is enim adeò secutus est de ipsorum fidelitate, ut hæcenus Sereniss. Archiduces & Reges Catholici meritò dicere poterint, quod ex ore Philippi Secundi aliquando auditum est. *Meus Burgundia Comitatus nunquã malam noctem mihi attulit*; licet confines habeat usquequaque exteras terras; sitque vel auxilio accipiendo minùs opportunus, si vis inferetur; vel

vel animadvertioni & pœnæ, si spontè deficere
 vellet. non sim tamen de ipsius fidelitate atque
 erga suos Principes devotione omnino secu-
 rus, si decessisset à recta in Deum fide, & hære-
 sim Divinæ & humanæ maiestatis perduellem
 intra suos fines admisset. Divinum consilium
 Caroli, qui ut custodiret, atque omni genere
 felicitatis cumlaret eam Provinciam, quam
 præcipua benevolentia & charitate comple-
 ctatur, velut primariam portionem & ocel-
 lum patrimonij sui, illam deposuit in fide &
 clientela Orthodoxæ Religionis, eamdemque
 Religionem ad eò insuperabili sanctarum legû
 vallo sepsit, ut hactenus violari nequiverit; licet
 vi, fraude, cuniculis aforis tentata sit. Fortuna-
 tam Provinciam, quæ tam Religiosos Principes
 sortita est: Beatos Principes quibus Pro-
 vincia tam religiosæ obtigerunt. Si enim (quod
 observat Valerius Maximus) *omnia post religio-
 nem ponenda semper Civitas Romana duxit, etiam
 in quibus summa Maiestatis conspici decus valuit;
 nec dubitaverunt sacris humana servire, ita se hu-
 manarum rerum futura regimè existimantia, si divi-
 na potentia bene atque constanter fuissent famulata;*
 Quam firmitatem par est sperare in rebus po-
 liticis, quid felicitatis in regnis & regijs fami-
 lijs, quandiu vera Religione nitentur, si sola
 Religionis umbra olim molem Romani Im-
 perij sustinuit?

l. l. c. 1. de L.
 Furio Bibaco.

DISSERTATIO

*Zelus Phi-
lippi Secū-
di in tuen-
da Religio-
ne à Sixto
V. Pontif.
Max. lau-
datus.*

Succēssit in maximam partem bonorum hereditariorum Caroli Augusti digna proles maximò Parente Philippus Secundus, quem inter & Ecclesiam extemplò coorta est in meritibus & referenda gratia nobilis contentio. Ex infinitis unum aut alterum dumtaxat delibabo, unde liquidò constabit, quantum Christiana sapientia humanæ prudentiæ antecellat, & quibus artibus sapientissimus Rex sibi demeruit divinam munificentiam in amplificandis suis regnis. Quæ referam suspecta esse non possunt, utique à duobus summis Pontificibus dicta. Sixtus quintus Antonij Buccapadulij Secretarij Apostolici ore sic Iosepho Stephano Valentino Episcopo Vestano respondit, post habitam Philippi Regis nomine orationem, & præstitum obsequium à Ioanne Fernādes de Velasco magno Castellæ Comestabili, Duce de Frias, Regij cubiculi præfecto & extra ordinem Legato. Non fuit contentus Philippus communi Christianorum Regum more testificari suam perpetuam erga sedem Apostolicam Romanūq; Pontificem obedientiam litteris, legatione, oratione; sed ut est eximia quadam pietate verè Catholicus, &c. proficitur velle Civitates, Provincias, Regna, & quidquid ubique terrarum Imperij possidet ab oriente sole ad occidentem Romanis Pontificibus obedire, quod idem semper voluit, egitque. Neque hoc sibi

sibi minus gloriosum ducit Catholicus Rex quam gra-
uissimum longissimumque bellum suis in Provincijs
Catholica fidei retinenda ac tuenda causâ sustinere;
extra enim hanc causam nullum iam diu esset in Bel-
gis bellum; sed recusat Rex eos pacatos habere, qui
insitas cum Romana Catholicaque Ecclesia inimici-
tas gerunt; nec patitur eos suos dici, qui recusant esse
secum Romano Pontifici Christi Vicario subiecti;
Fruatur Rex Catholicus quamdiutissime suo tam
proprio tamque excellenti bono: habenti, hoc est, Dei
beneficijs, recte, atque ad ipsius Dei gloriam, ut oportet,
utenti largiatur idem Deus ampliora, ut abundet,
affluat in dies magis opibus, potentia, gloria, omni de-
nique pietatis fructu atque omni felicitate. Hæc ra-
tio consiliorum Philippi eo magis repugnat
tuis consilijs Machiavelle, quod non sint verbo
solum aut epistolis ad Romanos Pontifices ex-
posita, sed in rem constantissime & sanctissime
collata. Philippo quid vicissim rependerit
Deus, mox videbitur; si prius retulero alterum
insigne testimonium & Elogium eiusdem Re-
giæ Philippi pietatis prolatum anno millesimo
quingentesimo nonagesimo nono, VII. Id.
Octob. in publico purpuratorum Ecclesiæ Pa-
trum consessu à Clemente Octavo Pontifice,
ubi collaudatâ gravissimis verbis demortui Re-
gis in adversis rebus ferendis patientiâ, & mo-
destiâ in prosperis, prudentiâ in statuendo, equi-
tate

Insigne
eius argu-
mentum.

DISSERTATIO

tate in iudicando, in Episcopis designandis in-

Panegyri-
cus Regia
pietati Phi-
lippi Secti-
di à Clamē-
te VIII. di-
ctus.

tegritate & fide. Et quod praeipuum est, inquit Pontifex, cognomine Catholici dignissimum fuisse facta dictaque ipsius, adeoque universus Orbis Christianus egregie testantur; quandoquidem fidei Catholicae & obedientiae erga sanctam Apostolicam sedem conservanda gratia, ipse per se sine ulla exceptione daretis & periculi eam operam navavit, ut Hispaniam ulibatam & incorruptam ab omni contagione male de Deo sententiarum praestiterit. Verum etiā alia sua Regna & ditiones adeo sancte procuraverit, ut nunquam permittere voluerit, eam quam vocant conscientia libertatem, magno licet opum & regiorum reddituum dispendio: imò & reducendis ad saniores mentes, & S. R. sedis obsequium aliorum Principum subditis regionum patrimonium, ingentes Indiarum thesauros, & gratuita dona sibi à suis Regnis totis quadraginta annis quibus regnavit collata profusissime impenderit. unde inferebat sanctissimus Pontifex (ô divinum Christiani Regis praeconium ab ore Apostolico) Totam Philippi vitam à quo tempore Hispaniarum Orbem capeverit, nihil aliud fuisse quam perpetuum bellum adversus hostes fidei & S. R. Ecclesiae: & in studio ac zelo Religionis (si eos excipias quibus publicam sanctorum venerationem & cultum Ecclesia afferuit) parem habuisse neminem.

Fr. Jos. ph de
Signença in
Histor. Ord.
Hieron.

Perperam
Philippus
Secundus à
pseudopos-
ticitis re-
prehensus.

Nihilominus (inquiet ex secta Machiavel-
liana

liana Politicus) Philippus cum eets illa sua pietate & zelo, dum ingentibus copijs, periclitanti Religioni foris succurrit, Hollandiam, Zelandiam & alias foederatas Provincias non cõtemnendam partem regij patrimonij, amittit, inconsulto sanè consilio, & quod nunquam Machiavellus dedisset, quantumlibet Romano Pontifices hanc in eo pietatem & religionem laudaverint. An Politice? nocuisse Philippo suam pietatem, & religionem putas, & causam fuisse immanium illorum sumptuum, quos in Batavica bella fecit? Profectò tantarum impensarum nunquam Hispaniam poenituit; & si aliquãdo deliberatum est, utrum plures faciendę essent, Hollandusque deserendus; continuo audita est illa vox Philippi verè Catholica & verè antimachiavelliana: *sumptus quoscumque prateritos, & quoscumque in posterum Hispania facere posse optime collocatos. Et collocandos videri, dummodo vel in uno suorum subditorum religio Catholica conservari queat.* Consumptos verò in bella Hollandica ab initio rebellionis usque ad annum millesimum sexcentessimum decimum sexsũ centura & octoginta auri miliones, ipsemet Philippus Tertius ad Paulum V. Pont. Max. scripsit Archiepiscopatum Toletanum Setenissimo Infanti Ferdinando filio suo petens. Vult sit (ajunt Politici) petij Philippi

DISSERTATIO

lippo pars non exigua Belgij, dum auxiliatur Ecclesiz. Et hoc non abnuo; verum nisi cæci sunt, videant quantum terrarum & dominij accesserit Philippo prælianti prælia Domini. Adiecit, (ut cætera omittam) vel potius suæ ditioni restituit (inquit Ioseph Stephanus Episcopus Dorsetanus) nobilissimum Regnũ Lusitaniz; Oceanum inclusione præpeditum ac præclusum aperuit; Orientem cum occidente coniunxit, & cæli terræque marginibus suum Imperium terminavit Mauritaniz Aethiopiæ, Arabiz, Persizæque litora & portus; Carthaginiæ atque Indiz, quæ Alexandri magni nomen illustravit, ora; aurea Cheronesus, Insulæ innumerabiles incredibili aromatum copia refertæ; quinquaginta tria regna vel tributaria, vel omnino acquisita: denique quidquid invicta Lusitanorum natio quingentorum annorũ continentibus bellis, eiusdem Christianæ-fipientiz auspicijs acquisiverat. Quod incrementũ Imperij, quisquis pius est, facilè credet fuisse Philippo factum à Divino numine pro Batavia deperdita, non sine ingenti scenore, ecque in dies maiori, quo Hispanica pietas novis in dies obsequijs demeretur Ecclesiam: Usque adeò verum est quod S. Cyrillus Alexandrinus scripsit ad Theodosium Imperatorem: *Gloriosa in Deum pietas regijs honoribus immobile funda-*

In orat. Sixto V. habita.

De vera fide ad Theodos. initio.

men-

mentum est. Et quod D. Leo graviter simul ac
verè. Tunc Christi dextrâ Imperium defenditur,
quando Ecclesia status inconvulsus servatur.

Rursus quantopere idem Philippus Secur-
dus sollicitus fuerit, ne quid detrimenti Status
Ecclesiæ pateret, probè noverat immortali
dignus memoria Gomezus Suarezus de Fi-
gueroa Dux Feriæ Regis Orator in Anglia, quo
tempore regnum illud suprema defectione ab
unitate religionis Orthodoxæ penitus divul-
sum est. Nihil enim tum non molitus Dux,
strenuum se exitialis consilij dissuasorem, tan-
tæque calamitatis deprecatores præbens, re-
deplorata hoc salte à Regina Elisabetha summi
beneficij loco petijt, sibi ut omnes regni An-
gliæ religiosos & religiosas eò mittere liceret,
ubi vivere ex formula suæ professionis, vota-
que sanctè servare possent: illa annuente (fren-
dentibus licet impijs Consiliarijs sanguini
Catholicorum inhiantibus) confestim Legatus
eos in suas ædes advocare, excipere, per huma-
niter alere; quousque accepto comœtu à Re-
ge Catholico transmissere in Belgium. Lega-
tione tandem sua perfunctus longè plurimos
Sacerdotes secum abduxit, quibus sicut non
solum Rex optimus nulla re defuit; ita secuti
Reges eodè pietatis studio innumerabiles alios
seu voluntarios pro causa Orthodoxæ fidei exu-

*Hispana
pietas de
Britannia
regni opti-
me merita.*

Petr Ribodu.
in hist. Eccl.
Angl.

DISSERTATIO

les, seu proscriptos & solum vertere iussos, ad Hispanica & Belgica littora tanquam ad tutā Catholicæ Religionis stationem ex naufragijs illis Anglicis appulso benignissimè recrearunt. Inde orta plurima illa Collegia Hibernorum, Scotorum, Anglorum in varijs Belgij & Hispaniæ urbibus, unde numerosa examina lectissimorum capitum prodire, prodeuntq; in dies; quibus cum nihil optatius sit, nihil certius, nihil usitatius, quàm haustā adultamve in istis Seminarijs veram pietatem illuc postliminio inferre, aut ab indigenis Anglis tentam studiosè excolere & propagare, vel ipso carcerum mortiumque periculo; profectò statuere difficile est, plusne subsidiarijs illis Religionis Catholicæ militibus Britannia debeat, quàm illi, & Britannia, adeoque etiam Catholica Religio (si quid cuiquam debere re ipsa potest) Hispaniæ.

*Philippi
Tertij pietas
& felicitas.*

Fuitne unquam Rex felicior optimo Patre tuo Philippo Tertio PHILIPPE? Potentiā certè atque amplitudine Imperij maior nō extitit; summæ pacis diuturnitate vix ullus beatorum coniugis & prolis sorte, quis fortunatior? subditorum fidelitate nullus securior; Imperij maiestate & gloria nullus florentior. Vbi autē singula diligenter circumspexeris, uni maximi Principis Christianæ sapientiæ, & divinæ Pro-

noæ,

noæ, quæ piorum Principum studiosissima est, referas oportet; uti illam adscriperunt quicūq; ipsius Regni tempora paulò attentius contemplati sunt. Studium fidei tuendæ tam incensum in eo Principe fuit, ut contempto illo proventu qui obveniebat ipsius regnis ex diligenti agrorum cultura; nullâ habitâ ratione deterioris illius status rerû suarum ex colonorum defectu, nongenta millia Mauristorum Hispaniæ finibus expulit, haud maiore perturbatione & motu, quàm si pauculos mendiculos ex trivijis & pontium stationibus eiecisset. Quæ in te mutuatam operam Religionis & Philippi quis non videt? Religionis quidem in tuendo Hispaniarum Statu; Philippi verò in tuenda Religione. Sanè factum suspexerunt oculatissimi quique Principes, & facinus plusquam humanarum vitium confessi sunt. Periclitata est & gravissimè quidem Catholica Religio in Germania: Philippus Regium patrimonium oppignera- vit, Ecclesiæ devovit, & opportunè auxiliatus est. Idem quadraginta hominum millia expedita ad nutum Pauli V. tandiu in armis habuit, quousque idem Pontifex mittens qui suo nomine gratias ageret, haud se amplius eo milite indigere testatus est. Eo regnante novem regna in America ad fidem Christi conversa sunt: duæ Pyratarû stationes maximi momenti La-

DISSERTATIO

rachia & Mamorra ab alijs Regibus tentatæ,
tandem eius ditioni adiectæ.

§. IV.

*Christiano
politica Re
gis Philip
pi Quarti
sapientia.*

*De regæ, ini
tio.*

HÆc innumeraq; id genus Parentis, avo-
rumque tuorum facta dictaque, & tuen-
dæ ac amplificandæ Orthodoxæ Reli-
gionis studia cum meminisses **PHILIPPE**
QUARTEREX CATHOLICE, tibiq; meritò
dictum putares quod Synesius Episcopus Pto-
lemaidis Pentapolis Imperatori Arcadio in
hæc verba scripsit. *ἀναμνησάμενος δὲ τῶν πατέρων, καὶ ὅτι
τῶν ἀρχῶν αὐτῶν ὡς μισθὸν ἀπέταξας δολοῦσθαι.* id est. *Veniat ti-
bi parentum tuorum in memoriam, videbis in vir-
tutis mercedem eis Imperium contigisse: acceptam à
maioribus tuis illam pietatem & religionem,
ac sollicitudinem incrementorum Ecclesiæ ita
infixam animo retines atque excolis, ut iam
hodie universus Orbis habeat quod in te suspi-
ciet, sperentque omnes pij Hispanam felicita-
tem & gloriam maximis accrementis auctum
iri. Nihil enim minora sentis, dicis, facis, quã
quæ maiorum tuorum vel religiosissimi fense-
runt, dixerunt, fecerunt.*

Rem grandem dixi; temerè tamen vel adu-
laroriè tibi locutus nemini videbor, si pateris
quadam Regiæ tuæ pietatis exploratissima ar-
gu-

gumenta referam, quibus velut certo & auspica-
 to sydere iter tuū ad Christianā simul ac hu-
 manam felicitatem dirigit: illustria hæc exem-
 pla proderunt præcipuæ seris nepotibus tuis,
 indeq; perent formam certissimam & πολιτικὰ
 παραγέματα Status feliciter administrandi, tuē-
 di, propagandi. Sanctè affirmasti in quodam
 sermone tuo, qui solet semper esse regius, sole-
 re te quotidie votum facere Deo nunquam iu-
 vandi hæreticos, nullius fœderis cum illis in-
 eundi, si vel dubium aliquod & leve periculum
 apparuerit hæresis seu propagandæ seu cotro-
 borandæ, aut Catholicæ fidei vel levissimè vio-
 landæ: adeoque id tibi certum sedere in animo,
 ut si iam infestus hostis Toletum occupasset,
 immineretq; Regiæ personæ & familiæ in pro-
 ximum diem, te neutiquam dictum revocatu-
 rum, neutiquam de hac mente vel latum unguē
 discessurum. O votum verè regium: ô fortem
 vocem, ô Hispanicam, ô Austriacam, ô Catho-
 licam. Quam vellem ut quotquot sunt in Or-
 be Hæretici illam audirent: haud dubiè lace-
 raret eorum pectora; ut è contrario, si voculam
 huic contrariam à Rege Catholico illos habe-
 re contingeret, (quod omē avertat Deus) qui-
 bus characteribus, quibus linguis illam statim
 nō ederent, quam exultarent, quam triumpharent,
 quas in ordine suo ferias, quos ludos non
 insti-

*Votum ve-
 re Regium,
 verè Catho-
 licum.*

DISSERTATIO

instituerent? At, Deo bene iuvante, nunquam habituri sunt aliam præter eam quâ retulimus: Vocem tam sanctam & divinam, ut nemo qui pius sit negare possit, eam continuo fuisse exceptam à Cælitibus, atque ab ipso numine cōsecratā inter heroica dicta Constantini, Theodosij, Caroli magni. D. D. Ludovici, Eduardi, Ermenegildi, aliorumque Principum, qui se suæque Religionis gloriæ devoverunt. Ego cū apud me suaviter regisarem, & pro viribus intelligentiæ meæ æstimare satagerem regnum illud ius urandum & votum; ad extremum adeo mihi grande visum est; ut statuerim, ob id unū magis gratulandum tibi esse, quàm si Hispanico tuo Impetio, quod rārum est, quantum nullum unquam fuit, par Imperium de novo accessisset. Grande quidem est & perantiquum quod Cæsar Cardinalis Baronius in Hispanicæ fidei commendationem scriptum reliquit in hæc verba. *hoc planè laudis vendicat sibi semper Ecclesia Catholica in Hispania, ut non ab erroribus tantum, sed à suspicionibus esse voluerit suos immunes; quo factum est, ut & hoc ipso nostro seculo, cum longè latèque facibus hæreticorum orbis inflammaretur, ipsa illa se persisterit, accurrentibus summa celeritate Dei ministris, si vel tenuem suspicionis scintillā, vel si non ignem, fumum saltem viderint latentis ignis indicium; ipso præcipue Catholico Rege super*

*Hispania
ab hæresi et
eius suspi-
cione quàm
aliena.*

To. 7. an. 566.

omnes in opus *naviter* incumbente. Id iam olim in Priscillianistarum hæresi damnanda apparuit in concilio Bracharenfi primo; nam etiam in rebus licitis nihil sibi Hispania voluit esse negotij cum hæreticis, ubi fuit vel tantillum suspitionis & periculi. Sed illud decretum Concilij Toletani quàm divinum est? ut quisquis succedentium temporum Regni sortiretur apicem, non antè conscenderet regiam sedem, quàm inter reliqua conditionum sacramenta polliceretur nullum se non Catholicum permissurum in Regno suo degere: si vero postquam ad Regni gubernacula accessisset, huius ipse temerator existeret promissi, esset anathema martha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis aeterni: unde idem Baronius conficit, cognomen Catholici merito ad Hispania Reges pertinere. At severitate illa decretorum haud quam indigebas PHILIPPE, ut te talem in fide tuenda haberemus, qualem te esse conspiciamus: qui etiam ultra perennem illam & confutatam maiorum tuorum religionem progressus, novamque tuo illo quotidiano voto ipse tibi legem imponens, id Deo sanctè spondidisti, & quotidie ratū habes, quod nescio an ulli unquam Regum ab Orbe condito vel solummodo in mentem venerit. Desiderabat nempe tua in Deum pietas materiam patrem suæ magnitudini eam studiosè quæsisisti, & reperisti feliciter,

DISSERTATIO

citer, & toto animo amplexus es. Si maioribus
 tuis Romanum Imperium, & novus Orbis in
 virtutis meto cedem obrigit; quæ Imperia, qui
 Orbis debentur religioni firmatæ voto hacte-
 nus inaudito? Potuerunt pergere ulterius in stu-
 dio Orthodoxæ Religionis, non dicam reli-
 giosissimi Reges, sed sanctissimi Antistites, quâ
 quod Christiana sapientia & divinum numerum te
 provexit, cuius instinctu votum illud verè Ca-
 tholicum concepisti? Quapropter iure tibi cõ-
 venit Elogiũ quo magus Leo Pontifex Theo-
 dosio Imperatori in causa affini gratulatus est.

*Tantum presidij Dominus in fide vestra clementia
 Ecclesia sua præparavit, ut vobis non solùm Regiũ,
 sed etiam Sacerdotalem animum esse gaudeamus: si
 quidem præter Imperiales & publicas curas pijsimã
 sollicitudinem Christiana Religionis habetis, ne scili-
 cet in populo Dei aut schismata, aut hæreses, aut ulla
 scandala convalescant; quia tunc est optimus Regni
 vestri Status.*

*Philippus
 Quare quã
 insigniter
 erga San-
 ctissimum
 Eucharis-
 tia Sacra-
 mentũ pius,
 & quãtum
 inde ipsius
 Regni præ-
 sidium atq;
 incrementũ.*

*Divina mensa sacrosancta Eucharistia ea est, per
 quam mundus est stabilitus, & orbis terra cõssit, &
 Regnum stabilitur; dixit Timotheus Presbyter
 Iero solymitanus: præsertim verò fundamen-
 tum fuit, estque etiam num columen & firma-
 mentum augustissimæ Domus Austriacæ, cu-
 ius caput es, utique primariæ stirpis natu ma-
 ximus PHILIPPE. Videamus porò utrum*

quo-

quoque in tua mente refideat primigenia veteris avi tui Rudolphi iam ante annos trecentos sexaginta Imperatoris erga sanctissimam Eucharistiam pietas. Viget enim verò & vegeta est in Regio & Catholico tuo pectore; adeoq; dicere aulam te non solum nihil hac in parte concedere Rudolphi Religioni celebratæ omnium ore & annalium monumentis, atque à DEO OPT. MAX. Imperio Romano remuneratæ; verum etiam fuisse auctam cum scenore in ipsius nepotibus; tantoque admirabilius crevisse quòd Austriaco Hispana facta sit, felici nempe insitione Austriacæ Domus & virtutis in perennem Hispanorum Regum virtutem & stemma; adeo ut Philippus Primus, Carolus Quintus, Philippus Secundus, Philippus Tertius Austriaci Hispaniæ Reges maiores tui, tuque imprimis, (uti mox videbitur) potueritis singuli statui venturis ætatibus in illustre exemplar huius pietatis, eodemque quo Rudolphus modo supremum inter mortales maiestatis apicem propriâ religione promereri, qui avitâ illû nascendo meruistis. Dies me deficiat si velim dicere de singulis Regibus; de te uno vix possim oratione vel stylo ea complecti, quæ dicere & scribere animus gessit; Præterquam quod quid attinet ea commemorare quæ sunt in omnium ore & oculis tuæ erga augustissimum sa-

DISSERTATIO

eramentum corporis Christi cultus & venera-
 tionis argumenta? Cuius felicitatis maiestatis-
 que omen fuit, quod in ipso tui Regni exor-
 dio, Philippo Rege Patre tuo defuncto, ad San-
 cti Hieronymi ædem te conferens ad Curandū
 funus, in Sanctissimam Eucharistiam quæ for-
 tē ad ægrotum deferrebat, incidisti, eamque
 cōtinuō ex rheda defiliens aperto capite, eum-
 tem & redeuntem comitatus es? Quoties te vi-
 dimus in solennibus supplicationum pompis
 Eucharistici ferculi pedisequum torrentissimo
 sole, capite aperto, circumfusum innumerabili
 omnium Ordinum multitudine, & (quod inde
 sequitur) pulvereâ nube quæ bene robustis mo-
 lessima est, longissimos circuitus per Madri-
 tentes plateas alacriter emetientem? Nec id
 tuæ pietati fatis. Visus es sanctiore hebdoma-
 da viâ lutulentâ, cœlo pluvio, dissuadentibus
 prope Aulicis, & nequicquam valetudinem
 tuam & laboris molestiam causantibus, humili
 sagulo & vulgari perone rectus plurima tem-
 pla pedibus obire, ibique religiosè sacrū Chi-
 sti corpus pro more veneratus imbre madens
 domum reverti. Visus es non semel incidens
 fortē in Parochos divinum Eucharistiæ viaticū
 ægrotis deferentes, ex gestatoria sella & rheda
 defuisse, nulloque turbæ fastidio, nullo æqua-
 litatis metu, medijs affectatoribus te inferens,
 ægri-

ægrique domum promiscue ingressus, non antè
 profequi iter tuum, quàm Sacrosancta Eucha-
 ristia te comite in templum referretur, te præ-
 sente in ædícula recondideretur: Et tunc præfer-
 tim Austriaco-Hispanicè & Hispano-Austria-
 cè triumphare tibi, & Hispanis tuis eadem re-
 ligione inclytis videbaris, cum hunc in modum
 nullâ aliâ te ab supplicantium vulgo, quàm in-
 nata majestatis & præcipuæ pietatis insignibus
 discrepans, Regem orbis vili specierum invo-
 lucto tectû piâ & officiosâ deductione prose-
 quebare: cuius Regiæ pietatis etiam anno su-
 periore Madritum testis fuit, cum rediens ex
 aliquot dierum rusticatione in Urbem, Sanctis-
 simæ Eucharistiæ occursum, (quo nullû tibi for-
 tunatiorem esse ducis) aurigam subsistere ius-
 sisti, descendisti ex theda, euntē ad ægrota cu-
 iusdam domum, atque ad templum redeuntem
 pedibus affectatus es, unâ cû Comite de Oli-
 vares, quem ideo præcipua benevolentia dig-
 naris, & administratione tuorum Regnorum
 participas, quòd singulariter pius sit, iisdemq;
 artibus gentilitiam tuam maiestatem sustinere
 fatagat, quibus orta est, & humanæ culmē am-
 plitudinis cōsecuta. Testis est hebdomadarius
 adeoq; etiâ frequētior ille Eucharisticorû my-
 steriorû usus, & quotidiana factis operanti Sa-
 cerdoti præsentia, necnō duodecim missarû sa-

*Christiana
 sapientia Co-
 mitis Oli-
 varij com-
 pëdiarium
 Elogium.*

DISSERTATIO

crificia quæ in sacello suo domestico offerri di-
vino numini curar; interea dū publicis curis in-
tentus totū se cōmunibus Ecclesiæ & Hispaniæ
incrementis impendit. Propria & gentilitia tā-
ti Principis decora, merita, & laudes; eximia in
Deum pietas; sollicitum Catholicæ Religio-
nis tuendæ & proferendæ studium; munifica in
homines literatos, pios, ac rectè meritos bene-
volentia; vigilantia in cavendo, perspicacitas
in providendo; infractum illud casibus adversis
animi robur, vel ad ipsius, si quæ esset, fortunæ
probrum; mens illa avaritiæ sordibus penitus
intacta, vel ad ipsius invidiæ stuporem, in tanta
augendi patrimonij opportunitate, ut ad id ni-
hil ei desit quàm voluntas; animus ille iugi &
perpetuâ tantorum negotiorum agitatione se
vegetans; cui, quod homines vocamus laborē,
natura est; aliaque id genus ornamenta digna
maximi Regis intimo, digna Genio publicæ
salutis peculiarem laudationem desiderant.

Longius quàm statueram me provehet nu-
merosa tua pietas PHILIPPE, licet non me-
ruam videri cuiquam longior, nisi tibi, cui ma-
gis curæ est laudanda facere, quàm facta tua lau-
dari. Nec ob id tamen commemorare omittā
unum de te, & alterum de Principe Baltasare
Carolo, utrumque adeo illustre, ut nesciam pos-
sintae par quidem in hoc genere in annalibus

reperiri. Ut primū enucleatius & liberius edifferam, fingam me non loqui tibi; deinde ut omnis suspicio fuci absit, rem simplicissimè, uti gesta est, referam iisdem ipsis verbis, quibus Pater Frācisus Aguado è nostra Societate & è regijs tuis Concionatoribus, vitæ eximijs Religiosi Præsulis, Ecclesiastis, & scriptoris ascetici laudibus ornatus, idemq; Comiti-Duci à Cōfessionibus & comes in Barchinonensi professione ante tres annos eam scripsit Rectori huius Collegij Imperialis Madritensis: Sic habet Epistola, quam sæpius iam exscripsi, atque ad varias partes misi, præcipuè verò ad Burgūdos subditos tuos populares meos, ratus nihil posse illis accidere iucundius, nullum certius pignus humanæ felicitatis & incrementi, quàm Principem tam eximiè pium.

Nudius tertius (VIII. Id. Maias) Rege Barchinonem ex Carthusia redeunte, servus quidam rhedarius nescio quo casu in angusta & difficili via prolapsus ita unius rotæ radijs implicatus est, adeoque malè tractatus, ut expediti & avelli nisi sublata è curru rotâ non potuerit. Ibidem Rex cum Serenissimis Infantibus è rheda egressus animi verè pij verè Catholici argumenta tam illustria dedit, ut non videam quid agere præterea potuerit ex ordine aliquo Religioso vel religiosissimus, quàm quod Rex ipse per se eâ occasione præstitit. Nam etiam atque etiam

de

D I S S E R T A T I O

de advocando Confessario faceret. cumque periculum
 presentaneæ mortis imminere videretur, ipse met sol-
 licitiùs instituit miserum procurare opportunis actibus
 contritionis, suggerens ei idoneas concipiendi saluta-
 ris doloris & culparum pœnitentiæ rationes & mo-
 tiva. Turbari famulus & animo advocari presentis
 Regis sibi que tam officiosè opem ferentis conspectu.
 Cui Rex; heus amice, Dei solum tibi propitiandi me-
 mento, Regem me esse obliviscitor. Post sat longam
 moram adfuit quidem Monachus Carthusianus; ad
 agrum tamen tardius accedenti ob interiectum quen-
 dam aggerem, R E X, hac mi Pater, hac venito, in-
 quit; manum tibi porrigam, nihil morare: Serenissi-
 mus Infans Cardinalis ipsdem quoque pietatis officijs
 ac recitandis Litanijs intentus erat. Aeger semel atq;
 iterum commode confessus est. Nec mora, de afferendo
 Sanctissimo Eucharistia Sacramento deliberatum.
 Agendum (inquit R E X) Eamus, pedibus comitabor:
 tamen si tribus leuca quadrantibus abesset. Id tamen
 haud necesse visum, agro habente meliusculè, quo rbe-
 da Barcinonem delato, iussu Regis, serius & ipse
 Rex eo appulit, consumptâ nimirum in hoc charita-
 tis exercitio circiter horâ sesqui. hæc habui quæ scribe-
 rem ad vestram reverentiam ceterosque Collegij Pa-
 tres ac Fratres. Illustre sanè argumentum regie pie-
 tatis, nobisque acer ad imitandum stimulus, ac singula-
 ris in Domino consolationis seges. Barcinone 10. Maij

Memini quid pollicitus sum factū hoc nar-
 rasse, (vel ipso livore iudice) abunde laudasse
 est. Solummodo unum animadvertam, quia
 omnino ad præsens institutum pertinet. Si Ro-
 manum Imperium Rudolpho primo præmiū
 fuit adoratæ in agro Sanctissimæ Eucharistiæ,
 & dati Parocho equi sui, quo commodius &
 decentius ad ægrotum eam deferret; quanta
 humanæ maiestatis accessione, quibus præmijs
 auctum iri Philippum nostrum credendum est,
 qui haud quaquam in hoc genere pietatis tan-
 topere divino numini acceptæ Rudolpho infe-
 rior fuit; & id maximè ad laborat, ut eam quo-
 que transmittat velut hæreditariam ad poste-
 ros? atque ut aquilinarum pullorum probatio
 est radius solis immoto conspectus obtutu, sic
 Regiæ prolis character, sit singularis pietas er-
 ga Sanctissimam Eucharistiam.

Vix me capio gaudio, interminata humanæ
 felicitatis & maiestatis incrementa spe haud
 inani tibi auguror Deliciolum cœli, Orthodo-
 xæ Religionis ocellæ, Corculum veræ pietatis,
 Principum floscule, magnum magni Philippi
 incrementum BALTASAR CAROLE, cum
 ea quæ de te dicturus sum apud animum meum
 reputo. Nondum poteras formare in verba vo-
 cem, nondum insistere pedibus tuis, nondum
 millesima pars eras eius quem te quotidie fieri

Ioan. Föder,
 Matenes. S.
 Theol. doct.
 & profess. Ha-
 bspurgici 16
 ca. 4. Pilsbor-
 dius.
 Cullimanus
 fase.

Serissimi
 mi Princi-
 pis Baltasari
 Caroli
 pia et regis
 educatio. e-
 iusque ex-
 plum His-
 pano. Aus-
 triacum.

DISSERTATIO

videmus & miramur, qui penè ad invidiam tui exurgis; vix expleveras biennium ætatis tuæ, cum interrogatus quo apud te honore & loco Sacerdotes essent; illico summam observantiã Hispano more significaturus, sublatis in altum nisu quammaximo brachiolis tuis maniculas tuas tuo capiti reverenter imposuisti. Rursum, ecquã reverentiã & cultu Sanctissimum Sacramentum prosequeris; tum verò hic exilire, te non capere, non capi nutriculae sinu nec manibus teneri, cernuum te abijcere, frontem illam tuam gratiarum omnium sedem; os illud tuum, domicilium venustatis; ocellos tuos animi in exiguo corpusculo quammaximi indices, pectus tuum innocentie sacrariolum humi venerabundus apprimere, & columnellam fidei cerviculam tuam summittere cœpisti: quo spectaculo nescio quod gratius esse possit ei qui sanctè & incorruptè de fide Orthodoxa sentiat; quid Cælitibus, quid ipsimet velato Eucharisticis siparijs Christo acceptius esse queat his virtutum scintillolis, his fidei igniculis, his Regiæ & Catholicæ educationis floribus. Verumenimvero (quod hic præcipuè agitur) quãtam, Deus immortalis, quantam humanæ gloriæ accessionem potendunt? quanti Hispanicæ Monarchiæ incrementi sunt præfagia? quãtum votorum nostrorum pignus sunt hæc tuæ præludia pietatis? Hæ

Hæ sunt veræ & optimæ administrandi atq; amplificandi Status Politici artes; hæc Hispanorum in Imperio suo sustinendo atque proficere instituta, Ecclesiæ Catholicæ rationibus & incrementis ac divinæ gloriæ propagandæ studijs intentos esse, etiam posthabitis proprijs rationibus & incrementis. Ceterò enim sciunt non solum ex divinis Oraculis, verum etiam ex quotidiana experientia, quantopere suprema illa maiestas, cui (ut loquitur D. Bernardus) *administratio pariter & gubernatio seculorum incumbit*, sollicita sit eius Principis, qui sollicitus est Dei. Singulare eiusdem divini Numinis consilium fuisse ad tutam & integram conservationem Italiæ adversus hæreses, florentissima ac felicissima Siciliæ & Neapolis Regna, atque Ducatum Mediolanensem ab Hispaniæ Regibus possideri, in quorum explorata obedientia, Catholico zelo, opibus, & armis opportunum Pontificia vigilantia auxilium haberet, nemo inficias iverit, qui rerum huius & superioris sæculi fuerit vel mediocriter peritus.

Ser. 2. in die
Pente.

Quadraginta amplissimi & ditissimi Episcopatus instituti in sola India Occidentali ab hinc centum & triginta annis, præter innumera Collegia Canonorum, aliæque opima Sacerdotia & Cœnobia virorum ac mulierum,

*Quæ bene
fundata et
aucta Reli-
gio Chris-
tiana ab
Hispanis
India Occi-
dentali.*

DISSERTATIO

Academias, Scholas, Seminaria pueris in Christiana Religione educandis, Xenodochia pauperum, infantium, aegrotorum. Japonenses & Chineses Episcopi, qui nullis alijs retribus se & familias suas sustinent, quàm continuis tuis largitionibus PHILIPPE; quemadmodùm nec aliter Archiepiscopi quos *de la Sierra* vocant, pastores illorum Christianorum, qui à Sancto Thoma nuncupantur, quos Patres Societatis I E S V tua munificentia adiuti, Alexij Menesij Archiepiscopi Augustiniani ductu, ex schismate ad obsequium Romanę sedis traduxerunt. Numerosę illę Religiosorum turbe quotannis in regijs tuis classibus sacram India-rum expeditionem suscipientium, adeoq; etiã ad alia regna Japonię, Chinatum, Mogoris, Tibeti, Camboxę, Siami, Peguvij, Cochinchinę, Aethiopię, Bismagę, Tuquimi eodem propagandę fidei studio proficiscentium, quorum singulis liberalissimum comitatum ex tuo arario, & solidum viaticum præbes. Sexdecim Provincię Franciscanorum præter alias Dominicanorum, Augustinianorum, Mercenariorum, Carmelitarum, & Societatis I E S V quamplurimas. Immensa illa vis olei quo una minimum lampas tuo sumptu ardet in singulis ferè illorum templis ubi augustissimum Eucharistię sacramentum asservatur; sicut & vinũ quod

quod ad Militarium sacrificia conficiendo sanguini Christi adhibetur; necnon & sacra suppellex cum de novo ædem aliquam excitant; & medicamenta quæ illis agrotantibus provides: atque (ut ex una re singulari & recenti cæterarum coniectura fiat) sexaginta illa milia ducatorum quæ novissimè intra unius duntaxat anni spatium ex solo Mexicanæ quæsturæ Regio aratio (quod unum est è quinquaginta quatuor quæ in occiduo illo Orbe habes) Religiosis Evangelij promulgatoribus, alijsq; Sacerdotibus quorundam Indorum ad nostram fidem conversorû Parochis sustentandis præpositi. Celebres Barutlæ Insulæ quæ Philippi Secundi auspicijs quæsitæ, repertæ, Christo quæ & Regibus Catholicis acquisitæ, *Philippina* appellantur, immensi patrimonij tui Indici exigua portio sunt; ad eas tamen annis nō amplius viginti Rex, (plures annos replicate, vel utriusque illum Orbē velle percurrere incundo piarum tuarum expensarum rationes quis possit?) ab anno (inquam) millesimo centesimo decimo quinto duntaxat, ad millesimum sexcentisimū trigessimū quintum, quingenti quinquaginta duo Religiosi tuo sumptu profecti sunt; quibus si annuero eos quos proximo superiori vere ad easdem Insulas deduxerunt tres illi Procuratores trium Ordinum Religiosorum, qui sup-

*Particulari
immensarū
sumptuum
Hispaniæ
in Religio-
nis propa-
gationem.*

DISSERTATIO

plementum factis illis turmis à regia & Catho-
 lica tua maiestate impetrarunt, erunt omni-
 no circiter sexcenti. Ordinariæ verò singulorū
 expensæ in victum, vestitum, navigationis cō-
 moditatem, & plurima alia quæ cumulatis-
 sime suppeditas, cum haud minores quingentis
 ducatis sint, (uti exploratum est certis & omni-
 exceptione maioribus eorundem Procuratorū
 testimonijs) solo hoc ultimo vicennio mitten-
 dis ad Insulas Philippinas Evangelicis opera-
 rijs trecenta ducatorum millia è tuo arario
 prompta reperio. Et (quod imprimis dignum
 observatione sit, sicuti est DEO OPT. MAX.
 haud dubiè acceptissimum) quemadmodum
 ex illo auro quod primum in Castellam ex In-
 dia Occidua est allatum, facta est sacra Custo-
 dia, in qua augustissimam Eucharistiam San-
 cta Ecclesia Toletana pro more resectam pro-
 ponit: et ex eo quod primum Indiæ Orienta-
 lis Reges orientalis obsequij nomine Emma-
 nueli Lusitanæ Regi persolverunt, fabricata
 similiter est Sacrosancta Dominici corporis
 pixis, quæ Vlyssipone in tēplo Bethlemitica
 Virginis Indicarum victoriarum magnificen-
 tissimo trophæo visitur: Regibus scilicet Fer-
 dinando & Isabella Catholicis, & Emmanue-
 le hunc in modum suam quoque Regi Regum
 ac Imperiorum largitori Christo Domino be-
 ne-

neficiariam obsequentiam religiosa professione exhibentibus. Sic cum primum Clasis annuo thesauro onusta in Hispaniam ex India appellit; illico sua pars religioni & pietati non exigua seponitur, tantum videlicet auri argente, quantum necessarium est mittendis proxima sequenti navigatione in varias Indiae partes alijs Christianae fidei praekonibus; qui quam numerosi esse consueverint, vel ex hac una re quam dicturus sum, intelliget qui haec nescit. Proximè superiori anno centum circiter ex sola minima nostra Societate. IESU in utramque Indiam transmiserunt; quorum plerisque incredibili nostro gaudio in hanc Regiam Urbem tanquam in communem Orbis patriam, & alteram Christianae Religionis arcem confluentes vidimus, amplexi sumus, sacramque illam expeditionem eis piè invidimus. Legiones illae Martyrum quae in vastis illis partibus & Regnis Christianam Religionem suo sanguine sanciverunt, suasque etiamnum quotidie vitas Christo devovent, & gloriosè profundunt, Infinita id genus quae prudens in aliū locum refero, quid aliud sunt quam trophaea Ecclesiae, Christo quidem auspice, ac certe Hispanico ductu in media barbarie triumphantis? Quae quisquis attentius apud animum suū reputaverit, nonne iure merito subscripserit tū

DISSERTATIO

libr. 4. Chronol. g. anno. 1492.

Gilberto Gonsalves natione Gallo Archiepiscopo Aquensi, ac Scriptori nostra ætate sapientissimo. *Quo anno bellum Hispanorum per factum est contra Mauros, inquit, eorundem expeditione adversus Indos Occidentales capiti: quasi Hispanorum opus sit expugnare Infideles & Paganos; tum dicto Gregorij Decimi Quarti Pont. Max. Castellavorum & Hispanorum erga Sanctam Ecclesiam merita laudantis pethonifico diplomate in gratiam Philippinarum Insularum, in quo ait. Eos immensis quidem laboribus, ac successu admodum felici transmississe Oceanum, & in utrumque nostrum Orbem Hispanica vexilla intulisse Ecclesie auspicijs; atque effecisse ut Hispanico sermone in omnem terram exires atque auangeretur sonus Evangelij; sacrasque illas expeditiones illius gentis proprias atque hæreditarias videri. Quod studium divinæ gloriæ amplificandæ & incrementorū Ecclesie, sine ulla exceptione impèsarum, laborum, periculorum, mortium; hic ardens & constans procurandæ salutis animarum zelus, atque innumerabilium Indorum æterna beatitudine iam fluentium felicitas, quid aliud sunt quàm pignora non solum cælestis remunerationis aliquândo in cælis fruendæ; verum etiam maioris humani incrementi ac perpetuitatis illius potentie, quæ Christo & Ecclesie tam multas gentes hæreditatem dedit,*

Ex Commentarijs M. S. P. Joannis Lopez Soc. Jesu procurator general. Philippinarum. P. Rochirinas è Soc. Jesu illambullâ affert l. 1. Historie Philippinarum c. 14.

dit, novaeque quotidie acquirit, & possessio-
nem terminos tetraz?

Nunc intelligo unde tanta proveniat bono-
rum seges in Hispania; unde tanta ac tam diu-
turna pax, qua cogitari non potest felicior; tā-
ta Magnatum obedientia in remotissimis or-
bis partibus atque apud Antipodas, ut quæli-
bet imperia deponant ad minimum Regis nu-
tum: tanta omnium Ordinum adeoque ipsius
infimæ plebis fides; ut, secundum Deum, nihil
illi sanctius sit Regis nomine, neque quisquam
facilius homini Hispano fidelitatem, quàm
Marti hastam, vel Herculi clavam eripiat: tā-
ta Regiæ personæ in urbe populosissima secu-
ritas expertis periculi, ut opus non habeat stipa-
toribus ad custodiam, sicut innata Principi ma-
iestas non indiget comitatu ad pompam: tan-
ta regio toto prosperitas, ut gemina prole bea-
tus sit, sitque Serenissimus BALTASAR CA-
ROLVS iam septennis, iamq; solenni ritu om-
nium Ordinum iureiurando in Asturiæ & Hi-
spaniarum Principem inauguratus; cuius for-
mam & oris dignitatem si consideras; putes es-
se elaboratum opus omnium Gratiarum; si in-
genium, si vitiles igniculos, si dictorum acumi-
na, si Christianam & Regiam educationem,
existimes ex omni maiestate & laudibus per-
fectum Principem ad novas & maximas co-

*Ex sincer-
ro Religio-
nis cultu
quanta Hi-
spania feli-
citas.*

DISSERTATIO

ronas ab ipsomet numine peculiati cura desti-
 natum. Tanta Serenissimorum Infantium Ca-
 roli dum viveret, & Ferdinandi inter se cōcor-
 dia, tanta erga Regem Philippum charitas &
 reverentia: tanta vicissim Philippi erga Regios
 fratres suos observantia & amor; ut nec animæ
 Ionathæ & Davidis coniunctiores fuerint; ne-
 que aliter hodie Philippus Rex de auctorita-
 te, fide, vigilantia, amore Serenissimi Ferdinā-
 di Cardinalis Infantis in procuratione nobi-
 lissimarum & maximarum Provinciarum se-
 curus sit, quàm si ipse ubique præsens interes-
 set. Tanta opum omnis generis abundantia; ut
 Orbem perpluat auro, argento, unionibus, gē-
 mis alijsque rebus innumeris tum ad humanæ
 vitæ necessitatem, tum ad delicias. Tāta in ar-
 mis potentia, ut (quod nulli unquam seu Re-
 gum, seu Imperatorum, seu Rerump. contigit)
 solus uno eodemque tempore numerosos aliat
 exercitus in Asia, in Africa, in Europa; ternas
 quaternasve in utraque India classes, regnōrū
 suorum præsidio & amplificationi, clientium
 suorum securitati, & Religionis Orthodoxæ
 obsequio. Qua tandem alia arte (quod grande
 miraculum est) stare posset tam ubique fufum
 Hispanicum Imperium? unde tanta magnitu-
 do, tanta quies, tanta securitas, tanta maiestas,
 tanta potentia, tantę opes & felicitas? Causa in
pomp-

promptus est; Machiavelle, & longè alia quàm tu putes. Excubat Philippus & Hispania Religio-
 ni; Excubat vicissim Religio Philippo & Hispania, quibus si detur optio, malint sibi contra fi-
 dei hostes præliantibus aliquid humanitus cõ-
 tingere, ipsasque bellorum offensiones ac dam-
 na potiùs eligant, quàm acquisitas artibus suis
 victorias: utique haud ignari, eos qui pietate
 duce, Religione auspice bella suscipiunt, suis
 etiam proprijs cladibus proficere, & sibi divi-
 num præsidium pignerari. Norunt & glorio-
 sias ducunt, suoque Imperio sive stabiliendo, si-
 ve augendo convenientius, Christianæ sapien-
 tiæ ductu immensam vim auri in dubios even-
 tus & certa pericula effudisse & quotidie effun-
 dere, quàm nullo sumptu, pessundatâ religione
 ultro advolantem ad suas partes victoriam sinu
 excipere. Sapiens consilium, putare nullû adiri
 periculum, nullas clades posse contingere me-
 rentibus sub Christiana sapientia: & pro certo
 habere, impium Politiolattram seriùs ociùs da-
 turum numini pœnas, eoque casurum graviùs,
 quo se insolentiùs extulerit; & luiturum, seve-
 riùs quo indigniùs Religionem calcaverit, quò
 plures per sacrilegia & impietatè palmas pre-
 henderit. Dic Machiavelle, arbitrum te ipsum
 statuo, si modò Christianus es; imò & si non es,
 finge te ex animo esse, ut ex animi tui senten-

Christiana
 Hispaniæ
 sapientia cõ-
 mendatio.

DISSERTATIO

ria mihi respondeas. Dic, nunquid fatales & luctuosas palmas, feralesque victorias, omniq; servitutis iugo & vinculis calamitosiores esse diceres, in quibus nullus legitimus Ecclesiæ filius dicere vellet *Bonum factum*, & plenum victori canere Epinicium? ut è contratio Principi auspicijs Christianæ sapientiæ contra Dei hostes pugnantem clades etiam suas numerare gloriosum est, & damna ipsa cedunt in merita. Ita te semper Deus amet, Ô Hispania; ita tua vota prosperet Deus, PHILIPPE, ut Dei hostes potiùs temporale tuum Dominium invadant, quàm tu Religionem proteras. Quamquam (verum ut fatear) discrucior animi, & dolore tabesco, quoties audio vel unicum Domitij tui iugerum à Dei hostibus captum esse; utique non ignorans eorum incrementa, certa Ecclesiæ Catholicæ decrementsa esse: quod si inimicis visceribus non sentiam, omnino me adulterinum Ecclesiæ filium esse putē: quem admodum triumpho gaudio, & incedo omnibus lætitijs, cum tu tuique de Dei hostibus vel oppidulum aliquod capitis; utique certus, tantum Ecclesiæ acquiri, quantum Hispanico dominio adiectum sit.

§. V.

Non egrediar extra orbitam propositæ *Eadem Hispanorū & Germanorū Austriacorū Christiana sapientia in Statu gubernando.*
dissertationis, si quod dixi de mutuis
Ecclesiæ Catholicæ & Hispaniæ meri-
tis & incrementis, idem quoque dixerō de ea-
dem Christiana sapientia præside moderatri-
ce, tutelari, propagatrice augustissimæ Austria-
cæ maiestatis in Germaniâ; ac vicissim de Au-
gustissimis Germanis Principibus Austriacis
in studio restituendæ Orthodoxæ religionis,
tuendæ, ornandæ, amplificandæ; Eadem sunt
Hispanorum & Germanorum Austriacorum
instituta & regnandi artes, quemadmodū eadē
sunt familiæ; adeo ut si hos illosve Hispano-
Austriacos vel Austriaco-Hispanos, & utrosq;
Politico-Christianos appellaveris, omnino
rectè & veritati consentaneè dixeris; Iampridem enim inter illos non solūm mutua Regiarum Personarum & dominiorum communicatio intercedit; nimirum à quo tempore Germani dedere Hispanis Reges & Regina; Hispani vicissim reddidere Germanis Imperatores, Imperatrices, Reges, Reginas, & Regna; verum etiā eadem regnandi rationes, eadem Regnorum firmamenta, eadem temporalis incrementi causæ; Ecclesiā Catholicā fautores & defensores

DISSERTATIO

suos, præfidatios & prætorianos suos, vindices & assertores suos tegente, & maximis maiestatis incrementis, inter varias rerum vicissitudines (ut eius patrocinium & mutuum auxilium exploratius sit) prosperante. Paucis rem attingam. Non deerit qui de hoc argumento pluribus dicturus sit.

*Christiana
sapientia et
ineluctabi-
lis animi in-
dultio Fer-
dinandi Se-
cundi Impe-
ratoris in
causa Ca-
tholicae Re-
ligionis.*

Romanum Imperium iam ante plura sæcula (uti superius dictum est) Austriacæ pietatis præmium fuisse nemo nescit ; & nunc quoque esse, nec ipse inficiari possit, si ex inferis redeat Machiavellus ; tuamque pietatem & virtutes norit, tuasque ab annis decem & octo res gestas

F E R D I N A N D E IMPERATOR AVGV-
S T I S S I M E ; cuius divina mens, & alienissima à Machiavellianis rationibus Christiana sapientia, qua tantopere polles, effecit, ut Romanum Imperium te vindicem suæ Maiestatis appellet, Ecclesia suæ libertatis assertorem ; Gabores, Albo-standij, Mansfeldij, Palatini, Dani, Sueci, Provincia & Civitates potentissima tuis auspicijs & armis domita victorem. O utinam fas mihi sit tantæ maiestatis pedibus accidere. Dudum est cum te delapsum è cælo Principem, singulari munere Orbi & Ecclesiæ Catholicæ laborantibus datum, tot exaggeratum palmis, tot imperatoriarum virtutum radijs coruscantem ; tam prodigioso, tam manifesto, tam continenti divini nu-

minis favore spirantem, regnantem, imperan-
 tem, vincentem, in liberis, in nepotibus, in cō-
 sanguineis, in affinibus tantopete felicem ge-
 stio meis oculis intueri. Desiderio sanè meo
 non parum satisfacit Excellentissimus Domi-
 nus Ioannes Carolus Comes à Schönburgk
 tuus apud PHILIPPVM REGEM CATHO-
 LICVM orator, frater Ottonis illius Friderici
 Comitis à Schönburgk, quem hostis in pugna
 Lipsiensi omnes boni ducis & strenui militis
 partes obeuntem unum nominatim facta con-
 iuratione adortus cepit, captum occidit, occi-
 sum immaniter & barbare in frustra dissecurit,
 eximijs corporis & animi ornamentis, ac de-
 mum gloriosa illa sui capitis devotione opti-
 mè promeritum illam laudem, qua tu eius me-
 moriam consecrasti, qui tuæ *florem nobilitatis*
 eum appellare consueveras. faciet (inquam)
 tuus in hac urbe Regia Legatus, ut hæc differ-
 ratio Christiano-politica qualecumque testi-
 monium & pignus devotissimi animi etga au-
 gustissimam Domum Austriacam mei ad tuas
 CAESAR, tuorumque Hungariæ Regis &
 Archiducis Leopoldi Serenissimorum filiorū
 manus perveniat. Id ego mihi de contestata
 ipsius humanitate spondeo. Quod dicturus
 sum recentius & illustrius est, quàm ut à me
 prætermitti debeat. Edixeras pro tua singulari
 pie-

DISSERTATIO

pictate, & divini cultus restituti studio, ut Ecclesiasticis bona Ecclesiastica restituerentur. Fix templo velut ex Cadmea semente feges ferrea erupit, erecti in culmos armati sectarij, florere copiae hostiles, multi Dynastæ indignari, nova moliri, plurimæ urbes tumultuari, Magdeburgum inter alias insanire, Suecus magnis copijs erumpere, urbes capere, agrum hostiliter populari, sui terrorem passim iniicere, magnis itineribus Viennam & Pragam cõtendere. Quid factò hic opus? Protectò quisquis Machiavellianæ prudentiæ, imò & minùs malæ auscultabit, connivebit, cederet tempori, revocabit edictum, ac potius de regendo se, quàm de asperando hoste cogitabit. Alia omnia Imperator; Divi Bernardi Parænesim ad Conradum Regem Romanorum sibi scriptam putat. *Restituat sibi Casar quæ Casaris sunt, & quæ sunt Dei, Deo; utrumque interesse Casaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare; alterum Regi, alterum convenit Ecclesia defensori.* ac proinde edictũ de afferenda Ecclesiæ Christi sponsæ sua dote renovat, id se velle præcisè denuntiat; Deum, cuius causa est, minimè defuturum. Nec enim vero defuit. Ibi enim tum se maximè produnt divina auxilia, ubi desinunt humana consilia.

Epist. 247.

Studiũ di-
vina prou-
dentia er-
ga Ferdinã-
dum II.

Replicare divinæ Pronocæ studium & pa-

etocinium in tantis periculis de FERDINANDO suo singulariter sollicitæ, res est longioris narrationis quàm quæ institutâ dissertatiunculâ comprehendi possit. Vnum & alterum duntaxat uniuersim & obiter dicta sunt. Tua illa animi impotentia & præceps furor Suecæ, quo ita elatus es, ut iam putares te parem astris, & minitarere soli tenebras, & terris vastitatem, quam tandem finem habuit? Tu (credo) implesti mensuram ambitiosi illius cognominis quod assumpseras; & heroicorum facinorum symbola quæ in tuis signis præferebas: Tu FERDINANDVM è folio deturbasti, uti sperabas: Tu Regem Romanorum creasti, uti spondebas: Tu domum Austriacam evertisti, uti cogitaveras: Tu Romam ingressus es inuictus fortunæ tuæ & victoriarum alis, ut cogitaras: Tu te Imperij columen & novi Evangelij vindicem præstitisti, uti promiseras? Quid horum tandè consecutus es? Tu, si quod tibi nomen bellis illis Germanicis comparasti, nullum aliud est, quàm furiosi hominis, grassatoris impij, rediui in factorum locorum spoliatione Antrochi, templorum violatoris, Religiosorum hominū expulsoris & Tyranni scelestissimi. Si quod tuis præclatis illis expeditionibus Elogiū mereris; en tibi illud ex fatidico regij Vatis ore. *Vidi impium super exaltatum & eleuatum sicut cedros*

*Gustavus
Adolphus
Suecæ Ty-
rannus ma-
lesicorum
& sacrile-
giorum suo
rumpanas
luit, inci-
tur, anno
1633. 16.
Novemb.*

Psalm. 36.

ros

DISSERTATIO

*drois Libani; & transivi, & ecce non erat, & non est
 inventus locus eius: & ipsa die Drvo Leopoldo tu-
 telari Domus Austriacæ sacra ab ultore numi-
 ne ad Tartata detrusus es. Fuisti Impie, Ger-
 maniam peragrasti, & ubicumque posuisti pe-
 dem, ibi luctuosa vestigia tui furoris & vesaniæ
 reliquisti ad sempiternâ execrationem tui no-
 minis: Et ecce non es: & insequentem Divini
 Numinis iram non effugisti Scelestè: nec iam
 tibi ullum nisi inter Alaricos & Gensericos in-
 venimus locum. laces nunc super terram ut al-
 ter Holophernes in tuo sanguine tabefactus,
 tuorumque in strage & acervo; ipsumque quod
 nudius tertius inferebas cælo caput spe tua tot
 coronis augustum, nunc est ludus partis Ortho-
 doxæ meritò illud Davidicum in tua morte
 occidentis. Quis est iste Philisthæus incircum-
 cibus, qui ausus est maledicere exercitui Dei vi-
 ventis? Itum est contra te in nomine Domini
 exercituum, Dei agminum Israel, quibus ex-
 probrabas; & te, licet apparatu & numero po-
 tentiorem dedit Dominus in manus servi sui
 FERDINANDI, & cadavera castrorum tuorū
 volatilibus cæli & bestijs terræ; ut sciat omnis
 terra, quia est Deus in Israel, & noverit univer-
 sa Ecclesia, quia non in gladio & in hasta sal-
 vat Dominus; ipse enim est bellum, & tradet
 vos in manus nostras. Tua illa manus, cui hæ-*

2. Reg. c. 17.

reticorum coniuratio iam sceptrum Imperij Romani voto ac spe tradiderat, prædicans in ea esse tantum auctoritatis ac maiestatis, quantum ad totius Orbis gubernacula sufficere posset, nunc obtorpuit, & præcisa circumferri potest per Orbem Christianum tanquam spoliū & princeps membrum importuni alicuius monstri, & singularis feri Ecclesiæ Catholicæ vineam depascentis, multaq; strage & cæde nobilis. Tuus ille annulus & ensis, quorum altero præstare te putabaris quidquid altero signasses: Tua illa vexilla in quibus expresseras factionis tuæ referam, & argumenta illarum victoriarum & triumphorum quos sperabas, capta, eversa, calcata sunt à nostris Legionibus, eruntque in parietibus & tholis templorum nostrorum perpetua monumenta Christianæ sapientiæ Ferdinandi de impietate hæretica victoris; ac divino Numini supremo victoriarum arbitrio perpetuum anathema cum hoc epigrammate. *Regnū,*

Daniel. 7.

& potestas, & magnitudo Regni quæ est super omnem calum detur populo Sanctorum altissimi, cuius Regnum Regnum sempiternum est, & omnes Reges serviēt ei, & obedient. Interea stat Domus Austriaca, imperat Ferdinandus, ac divino Numine ipsum bene iuvante, nihil aliud efficiet coniurata Hæresis, quàm ut firmitus stet Domus Austriaca, & Ferdinandus imperet gloriosus,

N

qui

DISSERTATIO

qui pro Ecclesię libertate & patrimonio Christi-
 tati n̄ gravia bella in se suscepit, tam pię ges-
 sit, tam liberaliter se suaq; devovit. Ego omni-
 no spero (& huius meę spei habeo luculenta
 pignora non solum eximiam pietatem & Chri-
 stianam sapientiam Domus Austriacę, verum
 etiam hodiernum statum Germanię, ex deplo-
 mato, nũc tuis C A E S A R auspicijs florētissimũ,
 tibi que ac sibi restitutum) aquilam Imperato-
 riã gerentem in pectore gentilitia insignia Au-
 striaca relaturam immortales lauros pangenda-
 das in Daphnonibus Ferdinandi, unde ipsius
 posteris sæculis consequentibus surculos destrin-
 gent, quorum vel solus aspectus hostibus Dei
 examinandis sufficiet.

Ferdinandus II. Imperator caput suę Religionis Catholicę devovet.

Quibus verò humanis Imperijs munerari
 potest generosa illa & plusquam Imperatoria
 in Deum pietas tua C A E S A R, qui unum è
 Patribus nostrę Societatis Confessarium tuũ
 alloquens dixisti: *Si mea morte possem promovere
 Religionem Catholicam, oro Deum ut publicè coram
 toto mundo ab infami carnifice capite plectar.* Hic
 non habeo quid eloquar; hæret mihi prosus
 lingua & calamus, & religioso quodam horro-
 re ad has percussa preces mens mea obstupe-
 cit. De hac tui capitis devotione pro Ecclesię
 Catholicę incrementis I M P E R A T O R, id dictũ
 esto, quod mox de Philippi Quarti Regis Ca-
 tho-

tholi voto dixi. Hic solum exclamare libet; O te felicem Catholicam Ecclesiam; ô te beatam medijs tuis in calamitatibus ætatem nostram, in qua Romanus Imperator tales fundit ad Deum preces; & Rex Catholicus talia Deo facit vota.

*Homini si bellum inferas, (inquit D. Chryso-
stomus) fortassis vices, fortassis etiam vincèris:
Ecclesiam vincere nulla ars potest: nam calum &
terra transibunt; verba autem Christi non transibunt.*
Quod oraculum cum semper firmè animo cõ-
ceperint & comprehenderint Austriaci Prin-
cipes; ita Statum suorum Regnorum consti-
tuerunt, ut vinci nisi prostratâ prius Ecclesiâ mi-
nimè possent. Meminerunt fuisse olim à San-
ctissimo Saba promissum Iustiniano Impera-
tori mox divitem securam remunerationem,
& quæcumque amiserant superiores Impera-
tores recuperatum iri, si Arii, Nestorij, Orige-
nis dogmata pacem Ecclesiarum perturban-
tia de medio tolleret: quod simulac Imperator
implevit per Provinciarum Præsides, Africa
universa & Roma eius accesserunt imperio; &
qui erant in utraque Tyranni Visiges Romæ,
& Gilimer Carthagine, eos pro liberis servos,
& pro Regibus captivos, & supplices accepit
pro inimicis. Meminerunt eidem Iustiniano
Augusto, eò quòd esset benemeritus de Eccle-

*Si Deus
pro nobis
quis con-
tra nos*

DISSERTATIO

Barth. ann.
Chr. 630. to.
7. pag. 159.

sia, non tam actas gratias ab Agapeto Summo
 Pontifice, quam amplissimis verbis gratulatū;
 petinde ac si Princeps Religioni deserviens, nō
 tam Religionis quāam proprium negotiū agat.
Gratulamur Venerabilis Imperator (inquit Pon-
 tifex) *quod tanto Catholicae fidei ardore succenderis,*
ut omnibus piissima vita vestra temporibus piam
solicitudinem circa servandam augendamque Eccle-
siarum concordiam clementer exhibeas, & unam fidē
suaque per omnia firmitate consimilem omnibus po-
pulis Christianis cupias predicari. Nec mirū in eius-
modi clementiam vestram placita Deo cogitatione
persistere, cum nō alius Imperij vestri beator sit pro-
ventus, quāam Religionis augmentum. Quapropter
libenti hoc & Prophetica voce cantabo. Repletum
est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione,
quod florentissimam Principatum vestrum divinis
quotidie beneficijs inspicimus adornari. Praiverat
huic Apostolicæ gratulationi Ioannes Pontifex
Agapeti antecessor eiusdem Imperatoris
studium in tuenda fide Orthodoxa extollens,
quæ est Reip. bene & feliciter administrandæ
firmandique Imperij ars certissima. Neque enim
parva vicissitudo à potentia divina tribuitur: (in-
quit) hoc est quod vestrum firmat Imperium; hoc est
quod vestra Regna conservat. Meminerunt quod
Theodosio Imperatori Sāctus Cyrillus Alex.
scripsit. Gloriosam in Deum pietatem regijs honori-
bus.

l. de recta fi-
de.

bus fundamentum esse; & Principes pietatis cultores sine labore vincere & adversarijs prevalere. Quod præsertim manifestum fuit in nuptiis, & omnibus superioribus periculis exitialiore prodicione Alberti Baronis Valsstemij, tuo beneficio Mechleburgi & Fridlandiæ Ducis, tuorumque exercituum Legati Generalissimi FERDINANDE; Vix enim Viennæ proscriptus à te fuerat ingratisissimus proditor, cum Egræ in Bohemia à suis ipsius Tribunis & Ducibus, iisque externis, Irlandis, Scotis, vix audirâ proscriptione, adeo opportunè, ut vel minima mora fatalis foret, in suo sanguine oppressus est; cæteris coniurationis capitibus eodem impetu & ultore numine ferro occisis: captus ingens thesaurus, captæ perscriptæ coniuratorum tabulæ, simulque aperti & suppressi nefariorum consiliorum fontes, quæ homo vecors & phanaticus, tamque ad agendum obscurus, quàm ad conandum audax, & ad exequendum potens, in exitium Domus Austriacæ moliebatur. Captus eodem penè temporis momento *Franciscus Albertus Saxo* Egram quadrigis adveniens, non tam (reor) ad conferenda cum proditore consilia, quàm ad partitionem Austriaci patrimonij, quod certam spe omnes coniurati tenebant, productusque ante strata cælorum cadavera didicit

Indomitum nil esse Pio, tutumque Rebelli.

DISSERTATIO

Et quod præcipuum est, & plurimarum victo-
riarum instar; reverentia Austriaci nominis tam
sacrofancta in exercitu consistit; ut tametsi
miles Legato Fridlandio esset antea addictis-
simus; factus tamen de prodicione & eius nece
certior, extemplò totum se ad Cæsaris nutus
converterit, haud magis tumultuatus, quàm si
pauculi calones & lixæ in occæatione tor-
mentorum bellicorum, vel alio gravi facinore
comprehensi furcâ per carnificem luisent. his
proditorum cædibus infiniti longè lateq; per-
cussis, & velut de cælo tacti, alij consilium belli
abijcere; alij in suas stationes unde iam move-
rant, pedem referre; alijs excisæ spes, eversa cõ-
silia, fluxere arma de manibus, nunquam Ger-
mania Cæsareis exercitibus florentior, nunquã
Ferdinandus Christianæ Sapientis addictior,
quidquid tandem furiarum hæresis in augustis-
simam domum Austriacam redintegrare queat
Et enim verò redintegravit, nec fuit unquam
capitibus Hydra fœcundior, quàm coniurata
hæresis novarum extemplò opiarum ferax,
& insanis machinationibus ætera at suonè exi-
tio, an nostrorum triumphis; haud facilè sta-
tuas.

S. VI.

Ardet animus, gestit stylus tametsi tanto
 argumento impar, telegere Christianæ
 Sapientiæ vestigia veræ pietati victorias
 aggerantis, & manifesto favore ac Numine
 prosperantis inita Præside Religione consilia.
 Quàm divinum illud fuit, cum emissi sunt eo-
 dem penè temporis momento in campum cū
 gemino exercitu, Viennâ quidem Serenissimus
 Ungariæ Rex Ferdinâdus filius tuus CAESAR,
 idemque iam unius Ferdinanduli, & alterius
 prolis parens: Mediolano Serenissimus Ferdi-
 nandus Cardinalis Infans, tuus PHILIPPE
 CATHOLICE frater, nec tam ferè alter, quàm
 alter tu. Quàm felici, quàm fausto uterq; omi-
 ne (sicut iam pridem optabant) egressi! Quid
 felicitatis numen Ferdinando Regi non addi-
 xerit, cuius Viennâ contra perduelles hæreti-
 cos moventis hæc ultima vox fuit? *Religionem
 Catholicam nō sui modò, sed Regnorum omnium fun-
 damentum à se haberi; eosque gratiosissimos sibi fore,
 qui in eius defensionem (&) incrementum diligenter
 incubuerint.* Serenissimus Infans aviti, paterni,
 fraternique instituti sectator & æmulus non
 prius Mediolano extulit pedem, quàm propi-
 tiandi Numinis causâ supplicationi generali

in-

*Christiana
 Sapiëntia
 expeditio-
 num Ferdi-
 nandi Hun-
 garia Re-
 gis, & Fer-
 dinâdi Hi-
 spania In-
 fantis præ-
 ses.*

DISSERTATIO

intereuit; ac alia die in ipso fere procinctu celebre quoddam Deiparæ Virginis sacellum eadem mente invisit; in ipsoque sacræ ædis egres-
 su conspicatus innumerabilem populum, qui eius ultimò videndi salutandique gratiâ confluxerat, amoremque suum gemitibus & suspirijs testabatur, lacrymas nō tenuit Optimus Princeps; quæ benevolentix significatio etiam ipsis heroibus non insueta utrum dolorem populi lenierit, an auxerit, vix scias. Itur, proceditur, præest utriusque castris Christiana sapientia. Rex Ferdinandus versus Ratisbonā exercitum rectâ promover, urbem obsidet, natura & operibus, validoque ac numeroso praesidio, & rebus omnibus ad tolerandam obsidionem opportunis egregiè munitam, & adfuturi mox auxilij spe elatam; utpote quòd coniurati non ignorarent, ibi caput & claustra plurimarum Provinciarum esse adedò ineluctabilia, ut nec ipse confitus diuturno belli usu, multarumque palmarum Imperator Serenissimus Maximilianus Bavarix Dux magnoperè metuendus videretur. Gaudetis impij perduelles inexpugnabilem civitatem à iuvene Rege tentari confisi humanæ prudentiæ rationibus. Et id ipsum ego quoque maximoperè lætor fretus auspicijs Christianæ Sapiëntiæ, cui nihil insuperabile est, nihil impervium. Sentietis porrò nec factū si-

*Ratisbona
 obsessa &
 capta à Se-
 reniss. Rege
 Vngaria.*

ne Nomine, ut tam difficilem obsidionem pro
 militiae suae titocinio aggressus sit: fecit sicut fa-
 cere præclari Athletæ solent: difficiliora vo-
 lunt esse quæ exercent, quo sit leuius id ipsum
 in quod exercentur, proindeq; ponderibus plû-
 beis assuefaciunt manus, quibus vacuis & nu-
 dis in certamine utendum est. Hic prætulit ge-
 nerosissimus Princeps secutis victorijs, decuit-
 que Austriacorum Principum militaria titoci-
 nia, consummatorum Ducum operæpretia ef-
 fe: itaque prorsus evenit; nam pauculis mensi-
 bus validè oppugnata Ratisbona, tametsi vali-
 dè etiam propugnata, victori Ferdinando se de-
 dere coacta est, & in ius obedientiamq; recep-
 ta, in ^{ipsis} Ducis Veymarij oculis, luculento
 auxilio quod obsessis adduxerat nec metum
 nostris, nec opem Vtibi ullam afferente. Fecisti
 Ferdinande primis iuventutis annis, primis quæ
 militiae tuæ mensibus, quod nobilium Ducum
 ac etiam Heroum senectutè consecrare queat;
 animumque tuum obiectis immanium pro-
 pugnaeulorum molibus, & difficultatibus om-
 nibus celsiorem probasti, haud tamè sublimio-
 rem eorum iudicij & votis, qui te noverant &
 colebant.

Serenissimus Infans quid? ô Nestorem in
 Principe iuvene prudentiam nô matiumpe-
 ctus; ô regium Christianæ sapientie alunt un;

*Imperato-
 ria virtu-
 tes Sere-
 niss. Infan-
 tis Ferdi-
 nandi.*

DISSERTATIO

ō spiritus. Rebus in Italia optimè constitutis,
 acceptis Principum valedicentium, & Helve-
 tiorum omnia defetentium Legatis, eductum
 Mediolanensi ditione exercitum per inuia, per
 confragosa in Germaniam depotrat, ubi per
 solennem baculi traditionem tuo PHILIPPE
 nomine renuntiatur regij, exercitus cum impe-
 rio ductor: vix decē & octo fluxere ab accep-
 tis armis dies, cum nactus præclaram occasio-
 nem novi illius imperatorij muneris implendi,
 eam avidè arripuit. Tres ex præcipuis coniu-
 ratorum capitibus Gustavus Hornius Regis
 Sueciz non ita pridem à nostris bello interfe-
 citi frater, & Bernardus Saxo Dux Veymarius,
 & Gratius bellica gloria inclyti, copunctis
 copijs, & accessione legionum quas alij ex va-
 rijs locis miserant, numerosum florentemque
 conflaverant exercitum, eumque (qua re pluri-
 mùm gloriabantur) ex veterano milite & flore
 totius hæreticæ factionis. Consilium erat Re-
 gem Vngarię opprimere uno impetu primùm;
 tum deinde Cardinalem Infantem transitu in
 Belgium prohibere. Creverat mirum in modū
 animus hosti ex quiete ad pugnam loco quē
 maturè occupaverat; ex robore lectissimi mi-
 litis, egregio instructu, dispositione, situque tor-
 mentorū suorum peridoneo. Quid possit in ge-
 neroso pectore Christiana Sapiencia momen-

*Nortlingē-
 si pugna,
 et victoria.*

eo apparuit; Serenissimus Infans Ferdinandus, qui vix prius fuerat advocatus, quā cū suo exercitu advolaverat, haud turbati, haud quarete detestandæ pugnæ causas; quin securus animi, quia Dei negotium erat, (ut ipse postea percontantibus tantæ fiduciæ & tranquillitatis causam Ducibus respōdit) auctor & hortator pugnandi fuit, nihilque industriæ omisit in agendo, nihil in providendo consilij, nihil celeritatis in conficiendo, nihil in milite animando alacritatis & præmij. Similia exequi Ungariæ Rex cum suis, impiger ad labores, ad consilia prudens, ad omnia expeditus, quā disponēda acie, quā firmandis ordinibus, quā omnia bellatoris & ducis extimij munia obeundo. Vtriusque virtus martio illo theatro proposita tantos militū animos fecit, tamq; præcipuorum Ducum animos cōcordes reddidit; ut securæ victoriæ haud obscurum omen passim puratum sit. Non ibo per singula: Et sunt qui historicè, nec deerūt qui panegyricè ex proprio instituto ista cōmementent: hic memor instituta brevitatis, referā duntaxat obiter partem eorum quæ ad te scripta sunt. PHILIPPE REX CATHOLICÆ, quæ ad plurimos alios etiam ab ipsis hostibus & fugitivis. Biduo varijs velitationibus & prælijs irritati ad iustum certamen animi; tertio die, (is dies fuit octavus Idus Septembris) in cā-

Ann. 1654

DISSERTATIO

pum descensum est omnibus utriusque copijs, perque plures horas tam strenuè & acriter beligeratum, ut diu, quam in partem victoria inclinaret, dubitatum sit: cedente tandem nostrorum virtuti hoste, turbatis ordinibus, conversisque signis ingens secuta est strages, quindecim amplius peditum millia occisione deleta ex Horniano & Veymariensi & Gratzienti exercitiibus; florentissimus equitatus dissipatus, profugatus, fususque & magnam partem celsus: Captivorum quatuor millia, *Hornius inter ceteros ipsiusque, Tribunusque Gratzius, tuâ præsertim, Serenissime Carole Lotaringia Dux, eximiamque medijs in periculis contestatâ virtute, capti*: Veymarius ex equo deiectus ac faucibus nullâ relictâ salutis spe nisi in suis pedibus ægre in saltus avios & nemora se abdidit. Septuaginta amplius tormenta bellica cum omni instructu capta; capta recentia vexilla, spolia in tanta internectione quis æstimet? cum nec insequendi, nec capiendi, nec spoliandi finis pluribus miliaribus & diebus fuerit: quater mille currus impedimentorum capti; incredibilis consternatio ubique destitutis præditiario milite oppidis, quem hostis ad hanc pugnam eduxerat; Nortlinga quæ obsidionem perinacius toleraverat, in deditio- nem illico recepta. ex nostris vix mille quingenti cœcidit illorum tribus dierum prælijs

atq; ultima pugna desiderati. Hæc sunt utriusque Serenissimi Ferdinãdi prima imperii, plus fortè habitura apud posteros admirationis quã fidei . quidquid ornamenti addidero tum illustribus factis , nævus erit. Non possum tamen nõ appellare conscientias vestras heretici. Maximum bellicum miraculum vestri illius Sueciæ Regis, quem Marti parem facitis , quanta portio est vel obsidionis Ratisbonensis, vel novissimæ huius victoriæ? Vnum tamen est (pace utriusque dixerim Serenissimi Principes) unum est quod de vobis queri possimus quotquot sartam tectam Ecclesiam Catholicam, & Ecclesiæ incrementis devotissimos Hispano- Austriacos & Austriaco- Hispanos Principes salvos optamus. Condonate hoc mihi humanissimi Ferdinandi, soles orientes huius ætatis; condonate mihi si hoc dixerò. Fuisse mihi videmini effusius prodigi nostræ felicitatis, cum periculis oblitum, solius dignitatis memores; securitati & saluti vestræ minùs consulistis, ut impensius consuleretis victoriæ: nonnullis quippe vestro lateri hærentibus fracta audivimus iaculatorijs globis crura, alios etiam occisos. Servare salutem vestram Principes æternitate digni; servate vos temporum nostrorum gloriæ, orbis quieti, Ecclesiæ triumphis. Alterutrius vita & incolumitas pluris est quàm mille Veymaricæ-

DISSERTATIO

ses, & Hotniani, & Gratziani exercitus.

*Serenissi-
mus Infans
ferro sibi fe-
cit in Bel-
gram iter.*

Ivisti Serenissime Infans, ivisti in Belgium: fecisti tibi hostium occisione liberum iter, Qui te iam pridē desiderabant & expectabant. Belgæ, & te destinaverant tanquam triumphatū excipere, victorem triumphantemque exceperunt. Quod verò te tuus miles tam incredibiliter amet, haud magnopere miror, qui præter societatem laborum, atque interdum etiam inedia, præmia benemeritis tam magnificè rependis; nec gravatus es ad Nortlingam excedere ex proprio tuo augustali, illudque in vulneratorum valetudinarium cōvertere. Te sicut omnes boni ceu felix iubar intuentur, ita velut fatalem sibi Cometem horrescit Batavus: nescit Rebellis; nescit in quas se latebras recipiat, cū tu aperto campo signa regiarum legionum in eum infers: horret perduellis, horret nobiscum acie decernere, & decretoriam collatis signis provocationem defugit, in qua tamen est vera gloria militaris. Hoc, inquam, tam desperatè horret, ut nō ita pridem Lovanientem obsidionem per summum dedecus solverit solo tui adventantis metu. Germanici portò auxiliij tam opportunus advētus, Belgarumq; tam prompta, tam alacris, tam strenua ad primum caum eos advocātis nutum obedientia; Lovania obsidione duorum maximorum exercituum libe-

rata; Sexaginta millium hostium fuga, strages, miserabilis interitus; Es Kenkium, (qua arce nulla urbs est in toto Batavico Statu maioris in utramque partem momenti, utpote Hollandiæ claustra & clavis) Genepium haud multo etiam minoris quàm Es Kenkium momenti unà cum plurimis alijs oppidis captum; Dunkercanarum navium in Batavica Piscaria ut felix faustaque nostris, sic hosti funesta & luctuosa expeditio; præsidium Trevirensis postliminio restitutum; Ducatus Limburgi recuperatus; & cætera id genus proximè superioribus mensibus fortiter iuxtà ac feliciter gesta, quid aliud sunt, quàm manifesta miracula Christianæ Sapientiæ, ac piarum illarum precum effectus, quæ pro tua incolumitate & armis continenter funduntur? Nam tamen si ea quæ commemoravi debentur vigilantix, humanitati, liberalitati, auctoritati, scientiæ rei militaris, cõtinuo labori, ac reliquis imperatorijs virtutibus tuis; sunt & ipsa tamen præmium & adorea, quibus eximia tua pietas & religionis studium tum maximè cumulatatur, quando Belgium funditus perijisse creditum est. Neque me hoc loco retulisse pœnituerit, Brezeum Marefchallũ Religione Catholicum, Thenis captis, patrata Tillæmont. à victore milite horrenda maleficia & sacrilegia non solum ingemuisse, (ut ego quidem non du-

DISSERTATIO

dubito) & eum dolorem quem Rex Christianissimus animo concepturus esset, cum resciret: Verum etiam (ut Parisiense tetrum novarum Exedion typis mandavit) inde continuo auguratum proximè securam cladem & exitium illius exercitus, cuius unà cum Castellonio homine hæretico Dux cum imperio erat: nec vates vanus fuit; suoque illo augurio telum nobis adversus Machiavellum dedit. Perge, vince Serenissime Infans, dū Serenissimus Rex Ferdinandus perget coniuratæ reliquias iateleos extinguere. Perge Ferdinande Rex invictissime, perge Dei & Ecclesiæ hostes quæ urbium obsidionibus, si quæ fors in Germania recipiendæ supersunt, quæ acie & rotis signis persequi. Heroica tua initia nullis offensionibus, sed continentibus ad hanc usque diem victorijs, quantum Ecclesiæ, cui tu militas, prosperitatem; quanta tibi tuisque nepotibus humanæ felicitatis, dominijs, & gloriæ incrementa portendunt? hac itur ad eius maiestatis apicem quò duodecim tui sanguinis Imperatores evalesunt.

le bureau des gazettes.

Quanta pars harti victoriarū ad Regem Philippum Quartū per tinent.

Valenza del

Pa.

Hæc serenissimorum fratrum tuorum laudes, hæc victoriæ, hæc triumphi, hæc decora: renū Italicanum felicissimū Status; Forum Fulvij seu Valentinum ad Padum prodigiosè simul ratque heroicè propugnatum & servatum, alia-

que

que id genus præclare & feliciter gesta, quæ
singillatim commemorare longum sit, maxi-
mam partem ad te pertinent PHILIPPE
REX CATHOLICE, quippe quæ partim tua
pietate, partim tuo milite, tuis armis, tuo ære,
tuo consilio, tuis mandatis, tuis auspicijs patta;
qui interea haud inferiore gloria vincis, dum te
ipsum vincis, martiamque tuam illam indolē,
nemini qui te novit non exploratam hactenus
intra Hispaniæ sepra cohibuisti, quia maius
Ecclesiæ bonum, & Regnorum tuorum ratio-
nes id postulare iudicatum est. Tibi certè gra-
tulationem istam adornari æquum fuit, quem-
admodum professus es specialis tui muneris ef-
fe, divino Numini solenniter abs te tuisque gra-
tias agi, pro tam illustribus victorijs; quando
te vidimus, (video autem te quam sæpissimè
possum; tanta est oris tui dignitas, tanta seren-
tas frontis, tã benigni & acres oculorũ radij, tãta
seu incedentis, seu equitantis, seu iheda vehen-
tis maiestas) vidimus, inquam, te acceptis de
victoria Nortlingensi certis nuntijs, equestri
pompa, splendido comitatu Magnatum, Dina-
starum, ac Nobilium tuorum præeunte; & Nũ-
cio Apostolico, Franciæque & Venetiarum
Legatis unà cum Comite Olivario proximè
affectantibus, ex palatio ad suburbanum San-
ctuarium Beatissimæ Virginis MARIAE de

DISSERTATIO

Atocha eum item super Imperatori & victo-
 riarum arbitro Deo, simulque eidem Virgini
 Deiparæ castorum matri (sic Trebellius Pol-
 lio *Victorinam* appellat, nos potiori iure MA-
 RTAM) gratiarum persolvendarum causâ. Hic
 me rursus finire volentem regia tua pietas re-
 vocat. Serum erat cum tu processisti, nec redi-
 ri poterat nisi noctu ad funalia & tædas: per-
 functus tuis precationibus, & cantato Solenni
 Ecclesiæ Eucharistico, eâdem equestri dedu-
 ctione ad palatium redibas; cum ecce media
 in platea Sacerdos augustissimum Eucharistiæ
 sacramentum ad plebeium & inopem quendam
 ægrotum deferens occurrit. Illico desilire ex
 equo cœpisti, tuoque exemplo omnes, ac cer-
 ratim pro se quisque famulis & Ephœbis hono-
 rarijs faces eripere, supremum Orbis Regem
 religiosè comitari, nec dedignari pauperuli
 hominis domum: detrahere sibi chlamydem
 tuam Comes Olivarius, eamque tibi in genua
 procumbenti sternere: Nec satis tuę pietati fuit
 cælorum Regem euntem comitari, redeuntem
 quoque placuit ad templum deducere tuis pe-
 dibus, capite aperto, nullo nocturni humoris,
 nullo fatigationis metu; qui nec imbres, nec
 torrentissimos soles in hisce occasionibus vel
 minimum curas: ac perinde ac si ægrotus de te
 optime meruisset, cum non nisi alio beneficio

*Eiusdẽ exi-
 mia pietas.*

aff-ctum reliquisti. Ego verò omnino reor non sine peculiari divini Numinis consilio dispositum, ut in hac solenni pompa augustissimum Sacramentum & tu vobis occurreretis, quãdoquidem Eucharistia etiam gratiarum actionem significat, quæ certè persolvi à te pro his victorijs melius non poterant, quàm religiosa illa veneratione, & honoraria deductione qua Sanctissimum Christi corpus prosequutus es. Nec rursus sine Numine factum puto, ut inspectante ac comitante Nuncio Apostolico, Galliæq; ac Venetiarum Legatis, cæterisque Magnatibus, & Dynastis, atque infinita populi multitudine, hoc tuæ pietatis specimen ederetur; nimirum ut te universus Orbis Christianus nobis gratularetur, (quãdoquidem *maximum Dei immortalis munus est religiosus Princeps*) novosque de Hæresi & impietate triumphos tibi à divino Numine sponderi gauderet. Peracto hoc à te religionis officio, priusquam ex templo in palatium rediturus equum conscenderes, populus plurimum quidem laudate pietatem tuã, tuoque exemplo suam augere; at etiam (ut est de tua incolumitate incredibiliter sollicitus) altè commurmurari & queri, atque alicuius inconsiderantiæ Præfectum regionum stipatorum clarè insimulare; imò etiam ipsummet Patrochum nonnihil reprehendere, quòd te veniẽ-

DISSERTATIO

tem conspicatus non flexisset iter; utpote quòd dubium esse non posset, te, quantumvis æstu, pulvere, divoque vespero fatigatum, nihilominus descensurum ex equo, & quocumque Sacrosanctæ hostiæ deferretur, tuis pedibus, capite detecto comitaturum. At tu nunquam hilarior ad Nuncium Apostolicum & Comitem

*Acronas
Christiano
Regium.*

Olivarium conversus; *Et hoc totius diei optimum* festi, dixisti. Subiecit continuò Nuncius Apostolicus; *Et hoc est gratias agere REX, easque perenni Hispanorum & Austriacorum Principum instituto, sibi que novas victorias, & certum favorem Dei Opt. Max. demereri, quæ et tam religiosè famulando; quæ populi pietatem rara pietate promovendo. factum immortalis dignum gloria, & quod altissimè in omnium toto Orbe Principum aulis prædicetur. Id sanè brevis summus Pontifex à me refert.* hæc Illustrissimus Nuncius Comes Laurentius Campegius haud minùs verè quàm appositè: quæ subitanea gratulatio bene longi & meditati panegyrici instar sit; simulque opportuna patænesis omnibus Principibus, ut si bene beateque regnare volèr, tuo PHILIPPE exemplo pietatem impensè colant. Ad hoc sapientissimi Præfulis extemporale Epinicium quid adijci præterea debeat, non video; tamen breviculo tuo isto ac. ornate REX, quod fuit eximia & planè Catholica clausula religiosi triumphi, nihil

fen-

sensu diffusius sit, nihil ad dicendum uberius.

Penè oblitus sum tui Machiavelle; video, *Machiavel*
 hic hæsitare, & meritò quidem: sed & iure opti- *lismus ingu*
 mo criminari tuam disciplinam debes, ac vel *latus.*
 invitus fateri Christianam sapientiam, & solli-
 citum studium Orthodoxæ Religionis civili
 & politica tua scientia regendis Imperijs ap-
 tiores esse. Disrumpere impie, & eiura tuam
 vefaniam, interea dum Cæsari, & Philippo Re-
 gi de incrementis Ecclesiæ Catholicæ, pro-
 priorum securis strenuè & feliciter satagenti-
 bus omnes Catholici gratulamur, precamurq;
 ut pergant sanctè & invictè incepta, Hispani-
 cè, & Austriacè, id est, piè & constanter (uti fa-
 ciunt) perficere. Quæ cum reputo apud ani-
 mum meum, ego nec leviter Domui Austria-
 cæ vel Hispaniæ timeam, licet Turcus, Persa,
 Transsylvanus, Suecus, Tartarus, Moscovita
 Mautus, & quotquot uspiam sunt Lutheri, vel
 Calvini, vel Mahometi auctorati, atque his
 omnibus deficientibus Cacodæmones omnes
 succenturiati coniunctis viribus in eas insurge-
 rent: Metuam magis si Machiavellianis arti-
 bus addictæ Dynastulorum aliquem triobolarem
 inimicum haberent.

DISSERTATIO

§. VII.

Volebam Christianam vestram sapientiam aliqua gratulatione prolequit ERDINANDE IMPERATOR AVGVSTISSIME, PHILIPPE REX CATHOLICE, eamque meo sensu, meisque verbis iam propè absolveram: cum pertæsus meæ humilitatis præ magnitudine argumenti, & gloriæ vestræ splendore præstrictus cohibui stylum; præsertim (ut ego quidem reor) Genio Imperatoriæ & Regiæ vestræ Maiestatis, aut ipsiusmet Imperij, Hispaniæ, vel Ecclesiæ Præsidae revocante mihi in memoriam divinæ laudis canticum, in quod mens totius Ecclesiæ Iustino Imperatori gratulantis prorupit, Hormisda Romano Pontifice præcinate, & omnibus verè Catholicis ex animo succinentibus: Ego cum

*Panegyri
ca paræne-
sis Ferdinã
do Casari,
& Philip-
po Regi.*

illis sic utrumque affati non dubitem. *Te isa-
Deo placitum Principem ad Imperij verticem non
humani tantum consensus evexit; te sibi divinus fa-
vor ante formaverat; tradidit tibi Imperium, ut eius
operam fieres instrumentum: atque ideo hoc in te pro-
pheticum dictum iure conveniat; constitues eos Prin-
cipes super universam terram, memores erunt nomi-
nistui Domine in progenie & generatione. Etenim
cũs tibi sit Christianã pacem servare propositum, quis*

te dubitèrâ Christo esse delectum? hæc prima sunt
 vestri fundamenta Principatus, Deum placasse iusti-
 tia, & adscripsisse vobis excellentissima maiestatis
 auxilia, dum adversarios eius velut proprios com-
 primitis inimicos: hæc nimirum maxima Reipub.
 fundamenta sunt, hoc solidum invictumque robur:
 nec enim humanis actibus potest esse pervium, quod
 est divina gratia firmitate vallatum. Testis est hæc
 Prophetica scriptura; ait enim: Elegi David servum
 meum, oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea
 auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.
 Contra autem frustra arma, frustra sibi copias quarit,
 quæ gratia superna destituit. Etenim veraciter scrip-
 tum est. Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra
 vigilat qui custodit eam: Bellabis tu quidem divino
 tutus auxilio Excellentissime Princeps, & tua Rei-
 pub. iugo ferocissimarum gentium colla submittes, sed
 nulla victoria potest esse præstantior, quam quod Ec-
 clesia hostes post quasita tam longi temporis firmamē-
 ta subvertis. hæc omne genus humanum palma com-
 plectitur; hunc omnibus regionibus importabis trium-
 phum: & quod divina proximè pietati est, qui paulò
 antè ducto diaboli grassabantur hæretici, deinceps ad
 propria salutis effectum sint sanguine vincuntur. Du-
 rabit igitur huius Christiana victoria per ævum triū-
 phus; neque enim poterunt labe temporis aboleri, quæ
 in sempiterna fidei firmitate fundata sunt. Permane-
 bit longè latèque vestrorum fama factorum, & sicut

DISSERTATIO

*divinis designatur eloquijs, in omnem terram exitus
 sonus eorum, & in fines Orbis terra verba eorum.
 Et ceteris quidem bellis agros, oppida, & quod su-
 premum est, subiectorum libertatem tueris, qua mor-
 talium visibus comparata, simili quadam mortalita-
 te solvenda sunt. In hoc certamine vita ipsa defen-
 ditur, & quodammodo pro sempiterna beatitudinis
 arce pugnetur. Quocirca tanti operis apparatus con-
 tinuam Clementia vestra intentionem requirit: faci-
 te ut nullam prorsus receptaculum, ex quo rursus ini-
 maniſsimus hostis emergat, inveniat; cunctis eam
 nudate praesidijs; & si quid usquam vestigiorum eius
 reliquum est, id omne clementis remedio purgate, om-
 ne nequitiae germen funditus eruat, adversa Deo
 stirps adversum usque reseccetur, ne minus compres-
 sa (quod absit) iniquitatis radix venenata latius ve-
 rum virgultia diffundat. Hanc summi Pontificis
 orationem Panegyrim vel Parænesim appellè
 vix scio. Vnum in cōfesso est apud omnes Ca-
 tholicos, tibi CAESAR, tibi REX nullam
 Panegyrim paræneticam, nullam Parænesim
 panegyricam aptiorem apostolica ista gratu-
 latione dici scribive potuisse. Nihilominus ubi
 pia bella Christianæ vestrae sapientiae auspicijs,
 & ductu Serenissimi Ferdinadi Hungariae Re-
 gis filij tui CAESAR, & Serenissimi Ferdi-
 nandi Cardinalis Infantis fratris tui REX feli-
 citer & brevi (suis speramus) confecta fuerint*

tum verò nos plenius pro viribus tenuitatis no-
stra hoc argumentum persequemur.

Pauca hæc ex infinitis alijs selegi, quæ de *Dissertatio*
nis Epilo-
gus, Aucto-
ris vota.
Ecclēsia Catholica & Hispania meritis &
increments dicerem PHILIPPE REX CA-
 THOLICE, quibus (meo quidem iudicio) Ma-
 chiavellismi iugulum petitur, & Christiana tua-
 riorumque Hispanorum & Austriacorum Sa-
 pientia in legitimam atque optimam *Status*
 moderatricem consecratur. Veterum & recē-
 tiorum quorundam Panegyricorum stylum,
 ordinem, & institutum de industria refugi; sa-
 tius esse ratus, si heroicorum dictorum facto-
 rumq; nuda & simplici narratione has ab om-
 nibus pijs exclamations exprimerem, *pijs, san-*
ctis, fortiter, sapienter, regis, catholicè diuine; quàm
 si ego mihi captarem frigidos istos plausus; *bel-*
lè, acutè, subtiliter, venustè, elegantè, disertè; Mea
 tenuitas tanti argumenti magnitudini par haud
 fuit, non inficior; haud me tamen pœnitet ve-
 ros *civilis felicitatis fontes* indicasse, unde pro-
 muntur divina illa effata quibus *stat res Hispana,*
vigetque. Tu quoque quam sapientiam à Deo
 didicisti per tam multos tui sanguinis Impera-
 tores, & per innumeros Hispaniæ Reges maio-
 res tuos, illam libenter & sine invidia commu-
 nicas. Det tibi Deus REX OPTIME,
 det AVGVSTISSIMO CAESARI FER-

DISSERTATIO

DEI N. A. N. D. O. cum felicitatis cumulum,
quem utriusque quotidie in meis sacrificijs ap-
precor, praesente in verba Tertulliano, vel po-
tius primigeniâ veterum Christianorum pro
suis Principibus Deo supplicantium piete-
te, *viam prolixam, impertum securum, domum tu-
tam, exercitus fortes, senatam fidellem, populum pro-
bum, Orbem quietum, & quaecumque hominis &
Principis vota sunt.*

In Regijs tuis Madritensibus Studijs

VIII. KAL. MART. AN. MDCXXXVI.

*Maistrati tuae obsequentissimus &
devotissimus, servus ac subditus*

Claudius Clemens

Societate IBSV.

AMTIO REX ORTIVS
CARRIVS

CVM LICENTIA

[MADRII.]

Ex Officina FRANCISCI MARTINEZ.

COMPTON

MADRID

FRANCISCO MARTINEZ
